MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80441-2

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: RODIGAST, JOHANNES ADAMUS

TITLE: DISPUTATIO THEOLOGICA ....

PLACE: HALAE MAGDEB.

DATE: 1712

Master Negative #

91-80441-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

170
R61 Rodigast, Johannes Adamus

Disputatio theologica moralis de virtute quatenus una existit...

Halae Magdeb 1712 Sq D [4] + 75 p

Academic dissertation at Magdeburg university; J J Breithaupt praeses

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 10x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/21/92 INITIALS F.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

170 RG1

Columbia University
in the City of New York

Library

DISPUTATIO THEOLOGICA MORALIS DE VIRTUTE QUATENUS UNA EXISTIT.

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DN. FRIDERICO WILHELMO PRINCIPE PRUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURG. ET RELIQUA; DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE:

Præſide

D. JOACH. JUSTO BREITHAUPT

Abbate Bergenſi Magdeburgio,
R. Conſiſt. & Theol. Fac. Sen. Gen. Superint.
Direct. Sem. Theol. & Sacc. Hildersleb.

Die I. Jul. MDCCXII.

defendet publicè Reſpondens

JOHANNES ADAMUS RODIGAST,
Berlinenſis Marchicus.

HALÆ MAGDEB. Litteris ORPHANOTROPHEI.

VIRO

Prænobiliſſimo ac Conſultiſſimo;

DOMINO

JOHANNI CHRISTIANO TIEFFENBACH,

Potentiſſimi Pruſſorum Regis Conſiliario Cameræ Aulicæ graviſſimo, Canonico Capituli Herfordienſis, Judicii Criminalis Secretario, & Templorum Berolinenſium Curatori ſpectatiſſimo:

VIRO

Maximè Venerabili & Ampliſſimo,

DOMINO

CONRADO GODOFREDO BLANCKENBERGIO,

Theologo meritisſimo, Præpoſito ac Paſtori Eccleſiæ Berolinenſis Primario, Inſpectori ejusdem & vicinarum atque Gymnaſii vigilantiſſimo:

VI-

360349

VIRO

Nobilisſimo ac Conſultisſimo,

DOMINO

JOHANNI GEORGIO KOENIGSDORF,

Supremi Appellationum Judicii & Cameræ Regiæ Advocato Ordinario meritiſſimo; Totíque unà laudatiſſimæ Familiæ SIMONIANÆ:

PATRONIS, FAUTORIBUS atque EVERGETIS SUIS

demiſſè colendis

D. D. D.

JOHANNES ADAMUS RODIGAST,
Berlinenſis Marchicus.

In nomine CHRISTI JESU,
qui à DEO factus nobis Sapientia, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio: 1. Cor. I, 30.
Domini ac Dei noſtri!

DE

VIRTUTE,

quatenus UNA exiſtit.

CAP. I.

VIRTUTIS UNITAS CONSIDERATUR EX THEOLOGIA REVELATA.

CONSPECTUS.

APH. I. Definitio veræ virtutis. II. Virtutem ex natura ſua eſſe unam. III. Diviſio virtutis. IV. Diviſionem ejus non obſtare Definitioni, aut Synonymiæ. V. Numerum ternarium in virtutibus dividendis Scripturæ ductu prævalere. VI. Confirmatur idem: & reducitur in unitatem. VII. Virtutis naturam in ipſa diviſione imitari naturam DEI ſimpliciſſimam.

APHORISMUS I.

VIrtutem veram definimus, quòd ſupernaturalis facultas cordis ſit, juxta agnitionem veritatis, quæ in JESU CHRISTO eſt, ipſo exercitio renovandæ *Fidei*, efficacis per *Charitatem*, ita potens facta ac confirmata, ut divino Spiritu ſe vividam aſſiduè exſerat, tanquam *regula* omnium paſſionum, notionum, & affectionum animi, actionúmque univerſarum; ad diſcernendum repudiandúmque arbitrium humanum, & quamlibet mentem voluntatémque DEI optimam, eligendam fortiter atque præſtandam; ut evitemus id, quod verè fuerit malum, & bono illo fruamur, quô melius non eſt.

NOTA (1) Definitionem Virtutis deſideranti breviorem, hoc eſt, generaliorem, damus cum AUGUSTINO *de Civitate Dei* lib. XV. c. XXII. brevem iſtam & veram: quòd Virtus *ordo amoris* ſit, ſeu, amor verè ordinatus. Vel hanc: Virtus, eſt regula, ex Fide ac Charitate conſtans, intra conſcientiam, divini verbi normâ & ſpiritu excitata, quotidianóque uſu firmata, & paſsiones & actiones dirigens juxta DEUM ad DEUM. *Regulam* poſtulamus verè vivam: ut animus humanus vividè ſit *traditus* (συγκεκραμένος Hebr. IV, 2. *admiſtus fidei*, ut SEBAST. SCHMID. *fide contemperatus*, ut BEZA) *in typum doctrinæ*, cui *ex corde obediendum*. Rom. VI, 17. Principia agendi interiora requirunt *Formam*, ſeu normam certam, qua dirigantur; non modò *naturalem*, quæ eſſet *mortua*, relicta ſuis viribus naturalibus, vitâ verâ deſtitutis: ſed, *formam ſupernaturalem*, quam Spiritus S. ſpeciali gratiâ *per* & *juxta* Dei verbum excitârit ac firmârit. Regula enim, illis imponenda, cenſeri debet ex *Fine*; qui *proximus*, eſt *ſpes viva*. 1. Pet. I, 3. Conf. N. 4. & inf. C. III. Part. V. §. 7.

Status virtutis, optimè animadvertendus, proponitur Regi *ASÆ*: 2. Chron. XVI, 9. IEHOVAH *eſt, cujus oculi ſunt diſcurrentes per omnem terram, ad confirmandum* SE *cum iis, quorum cor perfectum eſt erga Ipſum.* Efficaciter LUTHERUS: *Des HErrn Augen ſchawen alle Land, daß Er ſtärcke die, ſo von gantzem Hertzen an Jhm ſind.*

(2) Facultas *ſupernaturalis*, conſiſtens in *viribus ſpiritualibus*, in ſe ſpectata, non eſt *virtus* ſenſu *morali* Theologico, ſed virtutis ſemina atque initia ſubminiſtrat. Debet enim accedere, tum *applicatio* animi renati ad res obeundas, ſecundum voluntatem DEI, patefactam Evangelio; tum *exercitatio*, per renovationem mentis quotidianam: Act. XXIV, 16. Hebr. V, 14. 2. Cor. IV, 16. Rom. XII, 2. tum verò juſta *menſura*, ibid. v. 3. 2. Tim. I, 7. ut omnia fiant ἀκριβῶς, νομίμως, Eph. V, 15. 2. Tim. II, 5. & denique *firmitas*: Hebr. XIII, 9. Eph. III, 16, 17. Coloſſ. I, 11. ὑπόστασις, Hebr. III, 6. 14. quæ c. XI, 1. opponitur ὑποστολῇ c. X, 39. *duránsque* efficacitas in utrámque partem. Phil. IV, 11, 12, 13. Hæc virtus dicitur *Fructus Spiritus* Gal. V, 22. Eph. V, 9. eſtque opus internum, medium inter ipſas *vires collatas*, velut ſcaturiginem ſuam, & *officia*, tanquam ipſius effectus.

(3) *Charitas*, per quam *Fides* operatur efficaciter, con-

conſideranda eſt triplici modo: (1) ut *charitas Dei, effuſa in cordibus per Spiritum S.*; atque ita ſentitur *paſſivè*, eſtque fons donorum gratiæ ſanctificantis omnium. Rom. V, 5. pariter *amor Chriſti* Rom. VIII, 35. 39. 2. Cor. V, 14, 15. Eph. III, 20. conf. Joh. XV, 9. &c. (2) ut charitas hominis erga Deum, quæ ex prioris ſenſu accenditur, & ſe exſerit *activè*, eſtque omnium virtutum mater. 1. Joh. IV, 19. Joſ. XXIII, 11. Joh. V, 42. XXI, 15. 2. Theſſ. III, 5. pariter *amor Chriſti* 2. Cor. V, 15. (3) ut charitas hominis erga homines, fructus prioris utriusque: Joh. XV, 12. 1. Joh. IV, 11, 12. 20, 21. qua mente dictum Chriſti Gal. V, 6. applicatur in *contextu* v. 13, 14, 15.

(4) Paſſiones, notiones & affectiones animi, actionésque internæ, ſunt *agendi principia*, indigentia *normæ* internæ ſuperioris, ut notavimus N. 1. qua ipſorum pravitas cohibeatur, & vita fidei provehatur ad recte agendum. Quæ quidem regula potiſſimùm eſt χάρισμα σωφρονισμοῦ, moderationis; *ſanitatis animi*, BEZ. *ſobrietatis*, SCHMID. 2. Tim. I, 6, 7. Rom. XII, 3. IIX, 13. Gal. V, 25. B. KOEPK. *Dial. de Templo Salom.* p. 139. *Spiritus moderationis ac prudentiæ, qui nos modeſtos & prudentes reddit. Spiritus S. excitat & auget in corde amorem filialem, & eundem quoque prudenter moderatur.* Et p. 140. *Non tantùm Spiritus* σωφροσύνης, *qui ſanæ mentis & prudens eſt; ſed &* σωφρονισμοῦ, *qui prudentes facit. Tirones ſibi ipſis nondum conſulere poſſunt, ideò egent manuductoribus. Proficientes poſſunt jam ſibi quodammodo conſulere. Seniores poſſunt & ſibi & aliis conſulere.* Eadem regula, ex radice, eſt *pax Dei.* Col. III, 15. Philipp. IV, 7. Conf. inf. C. III, part. V. §. 7.

(5) Ut opus *Renovationis* in partibus ſuis, ſic & effectus ejus, ſeu finis proximus, eſt duplex: *privativus*, & *poſitivus.* Neque aliter ſe habet virtutis actuoſa indoles,

doles, tanquam fideliſſimum renovationis exercitium, armatura illa ſpiritualis 1. Pet. IV, 1, 2. Philipp. I, 10. Rom. XII, 2. Eph. IV, 20, 21, 22, 23, 24. Coloſſ. III, 5. 8. 10.

(6) Definitum, *virtus vera:* ut peccatis, præſertim iis, quæ nominibus molliri ſolent, (ſicuti PLATO in *Alcibiade II.* ſcribit, *magnanimitatem*, honeſtiſſimum eſſe ex omnibus nominibus, quibus ſignificetur *inſipientia*) larvam virtutis detrahamus,

ne lateat vitium proximitate boni,

nec laudibus, merè humanis, color Chriſtiani officii appingi poſſit. Omni etenim modo fugiendum eſt, ne in eo, quod bonum, vel malum, à veritate aberremus: ſecundum Jeſ. V, 20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponendo tenebras lucem, & lucem tenebras; ponendo amarum in dulce, & dulce in amarum.*

AUGUSTINUS *de Civit. Dei* L. V. c. XII. *Non eſt vera virtus, niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt.* Et c. XIX. *Conſtet inter omnes veraciter pios, neminem ſine vera pietate, id eſt, veri Dei vero cultu, veram poſſe habere virtutem: nec eam veram eſſe, quando gloriæ ſervit humanæ.* Item: *Tales autem homines virtutes ſuas, quantascunque in hac vita poſſunt habere, non tribuunt niſi gratiæ Dei, qui eas volentibus, credentibus, petentibúsque dederit; ſimúlque intelligunt, quantum ſibi deſit ad perfectionem juſtitiæ; qualis eſt in illorum ſanctorum angelorum ſocietate, cui ſe nituntur aptare. Quantumlibet autem laudetur atque prædicetur virtus, quæ ſine pietate ſervit hominum gloriæ; nequaquam ſanctorum exiguis initiis comparanda eſt, quorum ſpes poſita eſt in gratia & miſericordia veri Dei.*

APHORISMUS II.

UNa eſt virtus, eo ipſo, quòd à DEO uno eſt, tanquam *natura divina*, ſeu indoles:

 2. Pet.

2 Pet. I, 4. eadémque in DEUM unicè tendit ac cuncta dirigit, tanquam pura *ſimplicitas* cordis ac mentis. 2.Cor.I, 12. IX, 11. XI, 23. Eph. VI, 5. Col. III, 22. Quum verò virtus in animo non poſſit non eſſe efficax, ipſa gignitur & efficitur veluti *ignis* Luc. XXIV, 32. à Spiritu S. tanquam *Spiritu* potentiæ, charitatis, moderationis 2.Tim.I, 6, 7. per Dei verbum, ut *ſemen* regenerationis incorruptibile. 1. Pet. I, 23. Jac. I, 18. Ita virtus vera ex ſua origine fit una; fructus ejusdem *Spiritûs fidei,* quo Fideles Veteris Novíque Teſtamenti DOMINO placuêre: 2. Cor. IV, 13. ſpiritus ex DEO, unus cum CHRISTO ſpiritus, *mens* Chriſti. Joh. III, 6. 1. Cor. II, 12. 16. c. VI, 17. 1 Joh. V, 20. *affectus* iſte ſimplex, qui in Chriſto inerat, inque ipſius membris ſingulis ſubſiſtit unus idémque, ac communis omnibus. Philipp. I, 27. II, 2. 5. *zelus* bonorum operum. Tit. II, 14. Atque ita virtus in ſe eſt, manetque ſemper, indiviſa. UNUM EST NECESSARIUM. Luc. X, 42.

NOTA (1) 2. Pet. I, 3. & 5. ἀρετὴ, *Virtus*, *Numero Singulari*, tum de DEO, tum de homine, adhibetur, *emphaſin* magnam utrobique connotans. In verba prioris loci, διὰ δόξης ϗ ἀρετῆς, per gloriam & virtutem, ſic commentatur GLASSIUS *Philol. S. Tr. I. Can. VI. b. e. per gloriosam virtutem ſeu potentiam. Eſt enim ἀρετὴ in Deo idem, ac θεῖα δύναμις, ut Heſychius ait. Et ita Zachar. VI, 13. pro Hebræo* הוד *uſurpatur, ut & alibi. Vide etiam 1. Pet. II, 9.* Scite quidem, atque ad vim *copulæ* exponendam ſatis accommodatè: attamen prætereà duo illa vocabula, *Gloria* & *Virtus*, amplius quiddam præ ſe ferunt. Pleniùs in *Gloſſa Compend.* FLACIUS: *Per gloriam & virtutem dicit nos vocatos: ubi in voce Gloriæ, juſtificationem & adoptionem; in vocabulo autem Virtutis, ipſam ſanctificationem aut renovationem accipe. Vel potius intellige, nos vocatos eſſe per gloriam & virtutem Chriſti, de quibus agit infrà. v. 16, 17. Nam ut eſt Joh. I, 17. Pater replevit Filium gloria & potentia* (gratia & veritate v. 14. 17.) *quibus converteret ſervarétque homines; &, ex qua plenitudine nos omnes accepimus.* Sanè, ut *Gloria* omnem potentiam ac ſapientiæ divinæ fontem complexúmque ſignificat, ita *Virtus Dei* illam determinat *morali ſenſu* ad voluntatem, plenam gratiæ & veritatis erga nos. Cui etiam ſententiæ reſpondet, quod altera ex parte attribuitur *vocatis* v. 5. qui debeant *ſubminiſtrare in ipſa fide ſua ipſam virtutem.* Ecce! ſicuti Deus Opt. Max. in *gloria* ſua nobis ſuam patefecit *virtutem*, id eſt, inenarrabilem ſapientiſſimæ potentiæ bonitatem, & reliquas virtutis proprietates quaslibet: ſic infinitæ iſti *gloriæ* occurrere jubetur *fides* noſtra, ac recipere & potentiam & virtutem Patris Cœleſtis, ut concipiat pariátque in nobis, effuſi in corda noſtra divini amoris igne inflammatis, virtutem ſimilem; nósque hanc præſtemus *intellectu* γνῶσιν (facultatem *ſpiritualiter diſcernendi*, quæ diſcrepant, quæque *rem* circumſtant, ratione habita *modi*, *perſonarum*, *loci*, *temporis &c.* 1. Cor. II, 14. Phil. I, 10.) & voluntate ἐγκράτειαν, robur ſpiritus in abſtinendo.

(2) Antecedentibus *Petrinis* duobus in locis virtus con-

conſideratur *à priori*, quatenus in Deo (ſecundum noſtrum concipiendi modum) ex *gloria*, in hominibus ex *fide*, ortum habet: ideóque, quum hoc ipſo una in ſe ſubſiſtat, ponitur in *ſingulari* integerrimè. In *plurali* autem 1. Pet. II, 9. mandatur, ut Dei virtutes prædicentur à nobis; quoniam nos eas ſpectamus plerumque *à poſteriori*, ut multæ animadvertuntur in *effectibus*. Similiter Philipp. IV, 8. inter alias diſtributionis ſpecies, dicitur; *ſi qua virtus*. PAULUS enim ſignificat, quomodocunq; ratio virtutis ſe præbeat conſpiciendam, de ipſa cogitandum omninò eſſe; ut exploremus ſemper eam, quæ apud nos reſidet, ne noſtra ſuo fructu excidat ullo modo. Conf. infr. C. III. Part. V. §. 5.

(3) JACOB. II, 10, 11. *Quisquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, omnium reus tenetur. Nam, qui dixit, ne mœcheris; dixit etiam, ne occidas. Quodſi non fueris mœchatus, occideris autem; factus es transgreſſor legis. Lex* verò *ſpiritualis* eſt: Rom. VII, 14. h. e. ſpiritualis naturæ, adeóque requirens ſpiritum CHRISTI JESU, c. VIII, 6. 9. cui cùm in aliqua legis parte pertinaciter reſiſtitur, opus virtutis cum ipſo tollitur in univerſum. Conf. B. SPENERI *Paraphraſis* in Rom. VII, 14. FLACII *Gloſſa, in Jacobum: quia unus & idem eſt omnium præceptorum legislator, & corpus legis eſt individuum*; & quidem ex ipſa individua ſpiritûs ſeu vitæ ſpiritualis indole, quæ ad legem præſtandam neceſſaria eſt. Quemadmodum enim multæ ſunt potentiæ, ad patiendum & agendum, ſeſe exſerentes in homine, ſed ipſa vita naturalis una: ſic de virtute ſentiendum tantò magis, quantò ſimplicior eſt vita ſpiritualis, quàm naturalis. Nam virtus nihil eſt aliud, quàm interior ſpiritualis vita *Fidei*, expedita ad omne opus bonum. HIERONYMUS in Eſaiam c. XVI, 20. *Quomodo citbara*

cithara non emittit vocalem ſonum atque compoſitum, ſi ſaltem una chorda rupta fuerit; ſic ſpiritalis venter Prophetæ, ſi una in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce reſonare, nec ad latericium murum cunctis clamare viſceribus. Philoſophorum quoque ſententia eſt, hærere ſibi virtutes; & Apoſtoli JACOBI: cui una defuerit, huic omnes deeſſe virtutes. In cap. LVI, 1. *Huic, quod dicitur: Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam; illud ſimile eſt: Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore: ut juſtè, quod juſtum eſt, perſequantur. Quanquam in nomine juſtitiæ omnis mihi videatur ſignificari locus: quòd, qui unam juſtitiam fecerit, cunctas virtutes impleſſe dicatur: quæ invicem ſe ſequuntur, & ſibi hærent; ita ut, qui unam habuerit, omnes habeat, & qui una caruerit, cunctis careat. Tale quid & quartus decimus Pſalmus ſonat: Qui ambulat immaculatus, & operatur juſtitiam. Et alibi ſcriptum eſt: Juſtitiam diſcite, qui habitatis ſuper terram. Quod autem Salvator, qui factus eſt nobis juſtitia, & ſanctitas, & redemptio, ipſe ſit miſericordia Dei, ſanctorum verba teſtantur: Et miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam.* Conf. id. in Ezech. c. I, 11. & Epiſt. XXVI. ad Pammach.

APHORISMUS III.

Diviſio Virtutis generalior inſtituitur optimè tum à *ſubjecto*, in eas, quæ *Intellectûs*, & quæ *Voluntatis* ſunt; tum à *relatione* ipſarum mutua, in *Dirigentes* atq; *Directas*. Utraque partitio reapſe una eſt. Intellectuales, ſeu Dirigentes, præcipuæ: ſpiritualis *Sapientia* & *Prudentia*. Hoſ. XIV, 10. Col. I, 9. Directæ,

ctæ, ad Voluntatem ſpectantes, præcipuæ: *Sanctitas* & *Juſtitia.* Luc. I, 75. Nexus utrarumque tam neceſſarius reperitur, ut neutræ ſine alteris veræ virtutes queant eſſe. Quod quidem utrinque naturæ interioris unitatem arguit. Nec verò dirigentes, ſcilicet per intellectum, ut tales, habendæ minùs practicæ, quàm quæ diriguntur, & proficiſcuntur à voluntate: nam tota indoles illarum, quoad *formæ ſupernaturales* ſunt, in ſpiritu ac veritate connititur ad *bonum;* &, iis non dirigentibus, harum *bonitas,* & vita, ſeu efficacia ſpiritualis, nulla eſt. Propterea CHRISTUS proprietatem Virtutis geminam ſic conjungit, ut requirat *Fidelitatem* atque *Prudentiam:* Matth. XXIV, 45. Luc. XII, 42. *Beatum prædicans ſervum, quem DOMINUS veniens invenerit ita facientem.* En! una virtus, agnoſcenda è duobus effectibus; quemadmodum, ex calore & ſplendore, ſol unus.

NOTA (1) Diſtinctio, petita ab intellectu & voluntate, non eſt *realis intrinſecè*, nec *adæquata* ullo modo; ſed, diſtinctio *rationis inadæquata*, cujus ratio *formalis* tantùm in reſpectu potiore hujus, quàm illius *ſubjecti*, intellectûs aut voluntatis, invenitur.

(2) Quæ

(2) Quæ *voluntatis* ſunt, dici ſolent virtutes *Morales*; ſed, non ſine incommodo: videntur enim dictione hac omnem *moralitatem* abrogare *intellectualibus*; quæ tamen ſpirituali in *praxi* non modò vindicant ſibi τὸ κύριον, ut in *naturalibus*, ſed *ſpiritum fidei*, certè *practicum*, etiam præ reliquis expediunt, gemino hoc jure ſuo *directrices* dictæ. Ipſæ autem intellectûs efficacitates, vel *naturales*, vel *ſupernaturales*, cùm nondum *actu completo* ad finem *practicum* adſpirant, nempe ad Dei cultum, non præcisè hic appellandæ ſunt virtutes: neque enim de virtutibus *phyſicè* agimus, verùm *moraliter.* Quantopere contrà virtus intellectualis ſit *moralis* ſeu *practica*, vi vocis ac rei; elucet ex *Petrino* ordine, 2. Pet. I, 5. ubi cognitio (γνῶσις) haud ponitur ante virtutem, ἀρετὴν, aſt maturitatem demum ſuam, qua dignè exerceri atque exhiberi poſſit, ἐν τῇ ἀρετῇ ſortiri indicatur. Conf. Aphor. ſequ. Nota 1. & inf. C. II. Aph. IV. N. 5.

APHORISMUS IV.

QUando unica eſt Virtus, cujus functio atque exercitatio verſatur in ordinandis ſecundum voluntatem Dei officiis patiendi, ſentiendi, atque agendi, ut ne perfruitio veri & ſummi boni impediatur, nedum tollatur; hæc autem *formalis ratio* non videtur æqualiter poſſe attribui & dirigentibus & directis virtutibus, ſiquidem ab iis magis, quàm his, opera bona, ut bona, originem ducunt; nec tamen vel *inæqualiter* ita utrisq; aſſignari poteſt, quin eadem in omnibus reſi-

reſideat habitûs *ſupernaturalis indoles*, quippe quæ per utrasque exſerit ſe totam, & eatenus æqualem, ut ſaltem utrinque opus ad finem accommodatè fiat, licet modus influendi ſit diverſus: ſupereſt, ut, quemadmodum inceſſus viventis hominis animæ acceptus refertur, quicquid inæqualitatis ſit in officiis oculorum & pedum; ſic etiam inſtauratæ ſpiritûs virtuti prorſus tribuatur, ſi quid ſancto intellectûs & voluntatis conſortio, quo virtus conſtat, præſtitum fuerit. Quocirca fit ſine fundamento, ſi metuamus, ne veræ virtutis definitio non tam λόγον τῆς ȣσίας, quàm σκιαγραφίαν modò repræſentet: quandoquidem virtutes omnes ſunt ȣσίᾳ unum, & diviſio earum nulla eſt *realis*, neque æqualiter, neque inæqualiter. Hinc illa mirifica *Synonymia*, ut tota eadémque virtus in Sacris diversè nominetur: nunc ex parte *intellectûs*, *Lucis ardor*, ut in Johanne Baptiſta Joh. V, 35. *Agnitio* Jerem. IX, 23, 24. Joh. XVII, 3. *Sapientia* 2. Paral. I, 10, 11, 12. Job. XXIIX, 12-28. XXXVIII, 36. &c. Proverb. II. &c. Eccl. II. &c. Sap. V. VII. VIII. IX. Bar. III. *Intelligentia*. Pſ. XLIX, 21. &c. *Prudentia*, vel *ſimpliciter*, vel *cum appoſito*, prudentia *juſtorum*, ut Luc. I, 17. nunc ex parte *voluntatis*, *Vita in Spiritu*, quam ſequitur ambulatio in Spiritu. Gal. V, 25. *Sanctitas* Pſ. XCIII, 5. Hebr. IX, 8. *Juſtitia* Pſ. XI, 8. XLV, 8. &c. *Timor Domini* Pſ. XIX, 10. CXI, 10. Job. XXVIII, 28. Sir. I, 16. *Charitas* Hoſ. VI, 6. Rom. XIII, 10. *Obedientia*, vel *ſimpliciter*, vel *cum appoſito*, obedientia *fidei*. Rom. I, 5. XVI, 26. *Chriſti* 2. Cor. X, 5. *veritatis* 1. Pet. I, 22. nunc ratione utriusque, *Fides*, *Veritas*, vel *ſimpliciter*, vel cum *appoſito* &c.

NOTA (1) APOLOGIA *Aug. Confeſſ. de Dilect. & Implet.* Legis p. 125. *Sicut terrores peccati & mortis, non ſunt tantùm cogitationes intellectûs, ſed etiam horribiles motus voluntatis, fugientis judicium Dei: Ita fides eſt non tantùm notitia in intellectu, ſed etiam fiducia in voluntate; hoc eſt, eſt, velle & accipere hoc, quod in promisſione offertur, videlicet reconciliationem & remisſionem peccatorum. Sic utitur nomine Fidei Scriptura* &c. Quibus reſpondet Apologia Sophiſtæ, cavillanti: *Juſtitiam in voluntate eſſe, quare non posſit tribui fidei, quæ in intellectu eſt.* HUTTERUS Locc. Theol. p. 466. *Certè in Scholis etiam Philoſophorum extra dubitationis aleam eſt poſitum, motus potentiarum animæ, mentis ſcilicet & voluntatis, ſibi mutuò correſpondere, ut, qualis eſt aſſenſio & notitia in mente, tales etiam motus ipſa voluntas concipiat. Porrò, apud Doctores Scholaſticos, Bonaven-*

venturam cumprimis, jam pridem obtinuit hæc regula: Nullum eſt inconveniens; unum habitum ponere & in ratione & in voluntate: præſertim cùm hoc loco mens, ſive INTELLECTUS, NON MERE THEORICUS, SED PRACTICUS INTELLIGATUR, QVATENUS NIMIRUM ILLE JAM PARTI APPETITIVÆ JUNGITUR. Tandem Scriptura ipſa cordi non modò tribuit fiduciam, ſed & notitiam, quæ propriè ad intellectum pertinet, ut Pſal. 119, 11. *Recondit ſanctus hæc verba in Corde ſuo. Luc.* 24, 25. *Tardi corde ad credendum.* Et ante hæc: Rom. X, 10. *Corde creditur ad juſtitiam. Ergò Fidei juſtificantis ſubjectum, ſive ſedes, non eſt cerebrum aut intellectus tantùm, ſed & Cor ſive Voluntas. Corde enim, inquit Apoſtolus, non intellectu creditur ad juſtitiam: propterea quòd in intellectu poteſt eſſe præclara notitia, præclarus aſſenſus; ſed non, ad juſtitiam, niſi adſit fides cordis, hoc eſt, fiducia.* Item paulò antè, ad illud: *Notitia eſt quiddam diſtinctum à fide.* 1. *Cor.* 13, 2. *E. Fides non eſt notitia. Definitiones omnes conſtant Genere: quod, in ſe conſideratum, eſt aliquid diſtinctum à ſuo definito: ut, Animal eſt quiddam diſtinctum ab Homine: Ergóne Homo non erit Animal? Sic Habitus eſt aliquid diſtinctum à Liberalitate, & reliquis virtutibus: Ergóne virtutes non erunt Habitus? Capite ſexto ad Romanos Apoſtolus fidem nominat* γνῶσιν, *ſcientiam, &* λογισμὸν, *ratiocinationem v.* 6. 9. 11. *Sic Fidei Abrahami & in genere omnium credentium expreſsè adſignat ſcientiam, & quidem non frigidam aliquam ſive ſuperficiariam: ſed certam & immotam, quæ cum* πληροφορίᾳ *ſit conjuncta, ut Rom.* 4, 21. *plenè ſciebat. Et Rom.* 8, 28. *Scimus, quòd diligentibus Deum. Rom.* 14, 14. *Scio, & confido in Domino.* 2. *Cor.* 5, 1. *Scimus, quòd ædificium ex Deo habemus.* Conf. antec. Aph. III. N. 2. & inf. C. II. Aph. IV. N. 5.

Nos verò animadvertimus, ex eodem fundamento diſcuti omnem nebulam, ſi fortè alicui mirum & quaſi incongruum videatur, quòd tam variis laudetur nominibus, ſumtis à mente vel appetitu, virtus ſpiritualis. Neque enim usquam ſine cauſſa id factum, ſed tractato argumento ut convenit. Conf. APH. VI. N. 2. infrà.

(2) Quid verò mirum, id fieri in apoteleſmate, quod redundat ex merito CHRISTI *applicato*; quum idem fiat in apotelesmatibus, quæ tendunt ad meritum à CHRISTO acquirendum? Quia enim *apotelesmata* ſunt *effectus*, qui è diverſis *principiis* profluunt, ab utroque appellantur, rei naturâ non invitâ, ſed duce. Obedientia Filii Dei erat paſſio, erat ſatisfactio. Virtus fidelium eſt humilitas, eſt magnanimitas: Jac. I, 9, 10. eſt agnitio, éſtque appetitio. CHRISTUS *a DEO factus nobis Sapientia, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemtio.* 1. Cor. I, 30. Quin etiam, ut *divina Filii Dei virtus, ſicut Cyprianus inquit, velut hamus quidam erat, habitu humanæ carnis obtectus, ut a ſerpente Leviathan devoratus, per illam paſſionis & mortis ſuæ infirmitatem, caperet & ſuperaret fortem illum armatum:* CHEMNIT. *de duabus Naturis in Chriſto* c. XVII. ſic eadem virtus producit in Chriſti membris virtutem fidei, quæ & ſapientiæ & juſtitiæ nomen meretur, & ipſum Satanam fallit divinis atque innumeris ſuis effectibus. 2. Cor. IV, 7.

APHORISMUS V.

VIrtutis unius efficacitates, ſeu efficientiæ, potiſſimùm tres ſunt, tradente Apoſtolo ſignificanter 2. Tim. I, 7. quòd detur credentibus unus Spiritus, ísque *ſpiritus potentiæ, charitatis,* & *ſapientiæ*, ſive moderationis, σωφρονισμȣ͂, cujus eſt, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Rom. XII, 3.

Quæ

Quæ poſterior proprietas quin potiùs intellectûs, quàm voluntatis, & priores duæ potiùs voluntatis, quàm intellectûs, propria ſint *charismata*, nemo dubitabit. Antecedente verſ. 6. docetur, opus virtutis conſiſtere ἐν τῷ ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τȣ̃ Θεȣ̃, in exſuſcitando Dei dono, tanquam igne; opponitúrque illud *ſpiritui timiditatis*, ut ſpiritus potentiæ &c. δυνάμεως, h.e. ἐγκρατείας, divini ejus roboris, quo fides parturit tolerantiam, pietatem; ipsámque charitatem fraternam, atque communem veram. 2. Pet. I, 6, 7. E quibus intelligitur facilè, tripartitam iſthanc diſtinctionem eandem eſſe, juxta quam Eph. V, 9. *fructus Spiritus* profertur *in omni bonitate*, præſtandâ erga Deum & homines per δύναμιν; & *juſtitiâ*, per charitatem; & *veritate*, per veram ſapientiæ moderationem atque uſum: nec eſſe aliam, ſi verborum ſeriem modò invertas, Tit. II, 12. σωφρόνως, ϗ δικαίως, ϗ εὐσεβῶς, quòd vivendum ſit ſapienter, juſtè & piè: pietas enim eſt prima pars bonitatis, primus ſpiritualis potentiæ fructus.

NOTA (1) Hæc tria ſunt Matth. XXIII, 23. τὰ βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ, legis *grauiora*, ἡ κρίσις ϗ ὁ ἔλεος ϗ ἡ πίστις, *judicium & miſericordia* & *fides*: (Luc. XI, 42. *judicium*, & *chari-*

charitas Dei, ἡ ἀγάπη τȣ̃ Θεȣ̃, quæ propria ſunt tabulæ ſecundæ & primæ) quæ facienda, tanquam *ſubſtantialia*, non omiſsis *accidentalibus*. Conf. inf. C. III. P. IV. §. 4. *Fides* namque & *miſericordia* comprehenduntur ſub *charitate Dei*, & quidem hoc modo, ut Dei charitas recipiatur fide, atque hæc è miſericordiâ Dei conceptâ miſericordiam pariat in fidelibus: fides autem meritò refertur ad ſpiritum *potentiæ*, *pietatis*, *omnisque bonitatis*; miſericordia inter homines, ad *juſtitiam*, qualis ad dilectionem pertinet. Judicium verò oſtendit σωφρονισμὸν, moderationem, tum *civilem* ſeu *forenſem*, quam textus Matthæi magis reſpicit, notante BRENTIO & ÆGID. HUNNIO, tum *moralem*; quarum utraque ad *veritatem* neceſſaria eſt. Conf. Dn. Dec. A. H. FRANCKII Meditatio Germanica in l. c. APOLOGIA Aug. Conf. p. 84. edit. Lipſ. dicit, *illa, quæ ſunt propriè legis divinæ, hoc eſt, affectus cordis erga Deum; qui præcipiuntur in prima tabula, nec poſſunt fieri ſine Spiritu S.* addens; *Sed adverſarii noſtri ſunt ſuaves Theologi:* (Conf. ibid. p. 118.) *intuentur ſecundam tabulam, & politica opera; primam nihil curant, quaſi nihil pertineat ad rem, aut certè tantùm externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longè poſitam ſupra omnium creaturarum ſenſum atque intellectum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde! prorſus non conſiderant. At Chriſtus ad hoc datus eſt, ut propter eum donetur nobis remiſſio peccatorum, & Spiritus S. qui novam & æternam vitam, ac æternam juſtitiam, in nobis pariat.* Atque hic affectus cordis tam ſimplex eſt, tréſque ejus proprietates adeò connexæ ſunt invicem, ut altera in alterâ ſimul contineatur. E. c. *Dilectio tegit delicta; videlicet aliena, & quidem inter homines; id eſt, etiamſi quæ offenſiones incidant, tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit ſummo jure:* ibid. p. 106. quæ ſanè ſunt non charitatis modò, ſed & moderationis, & fidei, communia documenta.

Neque alia ſunt tria, de quibus Spiritus S. mundum arguere dicitur Joh. XVI, 8, 9, 10, 11. Docet enim ipſe Dominus, *peccato* oppoſitam requiri *Fidem:* atque hac *juſtitiam* eſſe agnoſcendam, proficiſcentem ex merâ miſericordiâ divina; quæ agnita producit ſimilem miſericordiam in credentibus, ſublato Chriſto ad *Patrem miſerationum*, neq; adhuc præſente viſibiliter: *judicium* autem deſiderari exactisſimum in omnem partem, quoniam ipſe mundi hujus princeps jam tum eſt tremendo judicio damnatus; quod idem imminet illis omnibus, qui non *juſtum judicium*, ſed *ſecundum ſpeciem judicârint.* Joh. VII, 24.

(2) Tria illa virtutis unitatem usque adeò commetiuntur ſecum, ut non modò cum naturâ ipſius ædæquentur, verùm etiam ſingulis in actionibus permaneant tam necesſaria, ut, ſi vel unum abſit, nulla adſit bonitas. IOSUÆ zelus Num. XI, 28. videbatur pius, juſtus ac ſapiens; ſed MOSES eum videbat charitatis defectu laborare, neque ideò laudabat. SAUL putabat, ſe piè, juſtè ac prudenter pepercîſſe, cum populo, gregis boumque opimis ad ſacrificandum: SAMUEL verò deſiderabat δύναμιν & pietatem, quâ Saul munitus debuerat Deo obſequi, nec populum timere & ſequi: 1. Sam. XV, 15. 24. 26. Eadem PETRI amori erga Iudæos quum deeſſet, incidebat is quoque in hypocriſin; licet minore cum damno, quia ſpecialior iſte caſus minùs prævilus, aut minùs expreſsè prohibitus erat. Gal. II, 12, 13. JONAS, JACOBUS & JOHANNES, exiſtimârunt, ſe piè juſtéque Ninevitis ac Samaritanis precari everſionem; at non miſericorditer, immò & parum ſapienter. Jon. IV, 1. Luc. IX, 54, 55. Tam exquiſitè apta & idonea ſunt tria illa, ut, iis adhibitis, qualibet in re *morali, judicium proferatur in veritatem*, ſit ne virtus, nec ne. Eſ. XLII, 3.

quem-

quemadmodum Mathematicus ex angulis tribus conjunctis rectisſimè judicat, figuram eſſe unum triangulum.

APHORISMUS VI.

TRes etiam Chriſtianiſmi virtutes ab Apoſtolo monſtrantur 1. Cor. XIII, 13. *Fides, Spes, Charitas:* dictæ *Cardinales* Chriſtianæ, ſeu Theologicæ. Maxima verò harum, Charitas, ibidem affirmatur. Quod ipſum non dici *abſolutè*, ſed *ſecundum quid;* non ſecundum *juſtificationem*, cujus *conſequens* eſt charitas, vel, quosvis præſtantisſimos *effectus*, quibus eminere Fidem, Apoſtolus idem perdocet Hebr. XI. ſed reſpectu & *durationis* æternæ, qua maximè MANET charitas, ut Textus loquitur, &, reſpectu *ædificationis* domûs Domini, atque proximi: id omne Theologi ex præcedentibus verbis, & *capitibus* duobus integris, decernunt. Differunt quidem iſtæ *Cardinales*, à tribus prioris Aphoriſmi, in eo, quòd *Fides* & *Spes* intra ſe comprehendunt ipſas intellectuales, ad *Spiritum potentiæ*, ſeu pietatis, referendæ ex hoc loco, tanquam virtutes diſtinctiores; ac

ac contrà, quòd illic *Spiritus moderationis* intellectuales virtutes magis exprimit: in fundamento autem præcipitur utrobique unum & idem. Cæterùm, quandoquidem fides cum ſpe per charitatem eſt efficax, & hæc quoque *trias individuo nexu hac in vita ſic conjuncta eſt, (ubi fides mater ſpei, & charitas robur fidei) ut, ubi ſimul non fuerint, ſimul deſint;* teſtante, cum *Leone*, BALDUINO in 1. Cor. XIII. p. 491. hinc efficitur iterum, ut dictæ *Cardinales* non tam virtutes ſeparatæ ſint habendæ, quàm unius virtutis, velut *Cardinis*, tria intima inſtrumenta.

NOTA (1) Quòd Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, virtutes nominatæ ſunt *cardinales*, Eccleſiæ Patres acceperunt à Philoſophis, *Stoicis* potiſſimum. Conf. HIERONYMUS epiſt. XXVI. ad Pammachium, de quatuor virtutibus: quas c. I. in Marcum expreſſè dicit *cardinales*. Theologi autem viderunt, hoc elegans nomen multò rectiùs convenire tribus illis *Paulinis*; atq; ideò ab Ethnicis Philoſophis, tanquam injuſtis poſſeſſoribus, traduxêre iſtam appellationem ad eas. AUGUSTIN. de *Doct. Chriſt.* lib. II. c. XL. XLII. Conf. inf. C. III. P. IV. §. 1.

(2) De Fide & Spe HUTTERUS Locc. Theoll. p. 465. optimè: *Secundum quid tantum differunt Fides & Spes, non ἁπλῶς. -- Etſi aliqua eſt Spei & Fidei diſcrepantia, tanta tamen eſt* utri-

utriusque cognatio, ut Scriptura, per quandam permutationem vocabulorum, Fidem nominet Spem, & Spem Fidem; ita ut, ſperare in Deum, pro credere in Deum, frequenter ponatur. Abraham dicitur credidiſſe in ſpem contra ſpem, τῷ ἐλπιστῷ accepto pro τῷ πιστῷ. Deinde duæ hæ virtutes ſic ſunt ſubordinatæ, & ſic cohærent, ut divelli non poſſint. Unde Auguſtinus: FIDES OPERANS PER DILECTIONEM, SINE SPE ESSE NON POTEST, NEC AMOR SINE SPE, NEC SINE AMORE SPES, NEC UTRUMQUE SINE FIDE. Præterea Apoſtolus Rom. V. ſpem ex fide etiam ortum ſuum habere, oſtendit. Autor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 11, 1. Fidem definit, quòd ſit ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, firma fiducia eorum, quæ ſperantur. Quibus freti rationibus invictè inferimus, Fidem & Spem eſſe quidem diſtinctas, ſed ita cognatas virtutes, ut helleboro dignus ſit, qui fiduciam, ſive ſpem roboratam, ex fide juſtificante expungere velit. Quapropter, ut Aphor. IV. jam obſervatum, ipſa *FIDES* non modò Spem, ſed Charitatem quoque complexa, totam atque omnem virtutem ſignificare poteſt. Ita certè ſumitur Hebr. XI. ubi in exemplis non nullis tam Spes, vel Charitas erga Deum & proximum, quàm Fides, ſe conſpiciendam exhibet. Nec verò hæc unio impedimento eſt, quò minùs ſola juſtificet Fides. *Particula* enim *SOLA determinat non ſubjectum, ſed prædicatum, hoc eſt, non vult, quòd fides juſtificans ſit SOLITARIA, hoc eſt, non habeat adjunctas reliquas virtutes: ſed, quòd ſola juſtificet, ſine auxilio reliquarum virtutum, quantumvis præſentium.* HUTT. I. c. p. 468. Et ex intervallo ibidem: *Fides & charitas, quantumvis in juſtificatis ſint conjunctæ, definitione tamen, objectis & ἐνεργείαις plurimùm differunt, ita, ut propria ἐνέργεια fidei ſit, credere & confidere Deo: propria autem ἐνέργεια charitatis ſit, diligere Deum & proximum. Quibus obſervatis ultrò corruunt ea, quæ à cap. 12. lib. I. de Iuſtific. ad finem uſque* diſpu-

diſputat Bellarminus, *& nimis anxiè, ſed ſine Adverſario confirmat: Fidem nunquam eſſe ſolam, neque à charitate cæteriſque virtutibus poſſe ſeparari.* Tandem ille p. 469. inculcat denuò, *diſtinguendum inter duplicem fidei* ἐνέργειαν. *Una enim ejus operatio eſt propria & nativa, & reliquis virtutibus omnibus prorſus incommunicabilis, quæ eſt, apprehendere Chriſti meritum, ſibique applicare. Altera, & quaſi* ἑπομένη *operatio Fidei juſtificantis eſt, in varios actus virtutum, ut charitatis, ſpei, timoris, pœnitentiæ, ſe exerere.* Quam diſtinctionem præcedunt hæc: *Apoſtolus non dicit: Fidem juſtificare per charitatem; ſed, operari per charitatem: quæ duo diverſiſſima ſunt. Non enim operantes juſtificantur, ſed juſtificati operantur.* Unde axioma Theologorum invictum eſt: *Eadem Fides, juſtificat credendo; ſanctificat operando.* Quo ipſo haud confunduntur Sanctificatio & Juſtificatio, licet nunquam ſeparari poſſint. Et verò ſunt DEO O. M. gratiæ agendæ immortales, quòd hoc in momento ſemper conſenſerint Eccleſiæ Proteſtantium ſaluberrimè. Lectu digna ſunt, de duabus Fidei ἐνεργείαις, in BEN. PICTETI *Theol. Chriſt.* p. 739, 40, 41. & HERM. WITSII *Oeconom. Fœd.* p. 388. quòd *in fide juſtificante, quatenus juſtificante, cæterarum virtutum actus non includantur*, h. e. *non cum fide ad juſtificationem concurrant.* Nemo autem negavit, in eâdem fide, quatenus ſanctificante, includi virtutes reliquas. Quid clarius, quàm hoc ipſum, 2. Pet. 1, 5.? ubi *Fides*, tanquam principium, omnem virtutis *chorum* parturiens fovet, quem nos ſingulatim ἐπιχορηγεῖν, producere, alterámque adjiciendo in altera ſuppeditare jubemur. Sic *Fides*, quaſi aranea quædam eſt, virtutis robur concipiens pariénſque in nobis per charitatem, ita ut *in virtute* ſic fundata proferamus ſolidam *cognitionem*, in cognitione *continentiam*, in continentia *patientiam*, in patientia *pietatem*, in pietate *fraternam charitatem*, in charitate fraterna *dilectionem* in commune conferendam.

dam. Hoc filum, hæc lineamenta, hic chorus cæleſtis araneæ in Fidelibus! Conf. GREGOR. M. in Job. c. I. quomodo *virtutes reliquæ in habitaculo Fidei epulentur. &c.* p. 66.

(3) Quòd *Charitas* ſimiliter paſſim in Scriptura complexum Virtutis univerſum deſignet, omni aſſeveratione confirmat dictum Apoſtolicum Rom. XIII, 8. 10. *Charitas, legis plenitudo.* Et, ſi omne mandatum (ἀνακεφαλαιοῦται) ſummatim comprehenditur iſto: *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum!* v. 9. quantò magis altero, cujus hoc eſt appendix, & *primo* & *magno*: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua!* Utrumque autem nihil aliud præcipit, niſi charitatem, ita quidem, ut *ab iis duobus tota Lex & Prophetæ pendeant.* Matth. XXII, 37, 38, 39, 40. Itaque omninò charitas eſt ipſa in ſolido virtus, qua Prophetæ cum Lege adimplentur. Si quis opinari velit, *intellectuales* minimè contineri in charitate; is meditetur illud: *ſcientia inflat; charitas ædificat.* 1. Cor. VIII, 1. Notitia quidem inflat ſine charitate: num ergò & charitas ædificat ſine cognitione? Cogitet illud CHRISTI Joh. XIV, 21. *Qui tenet præcepta mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et c. XV, 10. *Si mandata mea ſervabitis, manebitis in charitate mea: ſicut ego Patris mei mandata ſervavi, & maneo in ejus charitate.* Denique meminerit; ubi *charitatem Dei effundit Spiritus S.*, abeſſe non poſſe *ſpem fidémque*: Rom. V, 1, 2, 3, 4, 5. nec reperiri *Virtutis Fidei* proprium ſplendorem atque fructum, quem non per *Cognitionem* exſerat: 2. Pet. I, 5. ipsámque *Charitatem* in omnibus præceptis adeò fœcundam eſſe tot *reſpectibus*, atque *effectibus*, non aliter, quàm variæ agnitionis ductu, & gaudere nulla re magis, quàm *Veritate.* 1. Cor. XIII, 4, 5, 6, 7. &c. AUGUSTINUS, docens,

cha-

charitatem omnes alias virtutes continere, nihil commendat crebriùs, quàm illud 1. Tim. I, 5. *Finis præcepti charitas, ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Idem ſcribit Tom. IX. tr. 83. in Joann. *Ubi charitas eſt, quid eſt, quod posſit deeſſe? ubi autem non eſt, quid eſt, quod posſit prodeſſe?* Tom. VIII. Pſ. 103. Conc. 2. *Virtus animæ eſt ipſa charitas. Quomodo autem Jeſus ſuper illam ambulat? Quia major eſt charitas Dei in nos, quàm noſtra in Deum.* Videtur verò Auguſtinus virtutis myſterium nullo alio modo penetraſſe perſpicaciùs, quàm per *CHARITATIS* & *CUPIDITATIS* oppoſitionem, ex 1. Tim. VI, 10. ſicut *radix omnium malorum cupiditas, ita radix omnium bonorum charitas:* ex quo fonte admiranda ſolet derivare, pertinentia ad virtutis cultum in pura luce collocandum.

APHORISMUS VII.

DIverſa & varia virtutum *diviſio* in Sacris litteris documento eſt, Virtutem ſequi, ac referre hoc ipſo etiam, unius Dei naturam ſimpliciſſimam. Sicut enim virtus *finita* exiſtit imago *infinitæ* virtutis, hujúsque attributa certo numero ſatis definiri, ſeu includi, nequeunt; ſic illa ſuo ſimplicitatis modulo eandem indolem ſervat, neque admittit proprietatum ſuarum ſeriem, quæ non in Dei verbo alibi aliis, vel aliter collocatis, aut pluribus, aut pulchrioribus exprimatur rationibus, prout res fuerint. Tanta nimirum virtutis lux reperitur, & undiquaque tam pura, ut quivis ipſius radii, radiorúmque particulæ,

culæ, virtutes ſemper novæ hominibus videantur. Ipſe Dominus perſvaſioni huic ſe accommodat, reſpondens Baptiſtæ Johanni: *Decet nos implere OMNEM juſtitiam.* Matth. III, 15. quam contrà non niſi unicam eſſe, docet c. V, 20. licet complurium præceptionum declaratio ibidem conſequatur.

NOTA (1) PHIL. MELANCHTH. Loc. Theol. de DEO: *Hæ virtutes, quas Deo tribuimus, in eo non ſunt accidentia; ut in Homine, ſeu Angelo, ſapientia, juſtitia, bonitas ſunt accidentia & res mutabiles: ſed, ſicut potentia Dei non diſcernenda eſt ab eſſentia, nec aliud eſt; ſic non ſunt aliæ res, ſapientia, veritas, juſtitia, bonitas Dei, ſed ſunt ipſa eſſentia: quæ eſt quiddam vivum per ſe ſubſiſtens, intelligens, æternum, omnipotens, bonum, juſtum.* Similiter, vera virtus in Fidelibus eſt quidem *accidens* quoddam, eſt tamen *qualitas* ejusmodi, quæ, inſtar lucis, unam habet vivam à Spiritu S. ſubſiſtentiam in iis; nec aliæ res ſunt ſapientia, veritas, juſtitia, bonitas illorum, ſed ipſa virtutis eſſentia ſunt: & quicquid boni eſt durans, potens, ab ea diſcerni nequit.

(2) De eo, quòd non liceat certum virtutum numerum incommutabilem ſtatuere, meditatu dignisſimum eſt, quòd Spiritus S. in *Scripturis* utriusque Teſtamenti *Canonicis* nunc plures, nunc pauciores memorare ſoleat: quocircà non perdet operam, qui ſanctè ſcrutari conabitur, quomodo inſtituti ratio in unoquoque loco ſubminiſtret cauſſam, cur harum potiùs, quàm reliquarum, hoc potiùs, quàm alio ordine, fiat mentio. Meditationi occurrent *hymni Sanctorum*, quibus virtutes Dei celebrantur, ut in *Pſalmis.* Exod. XV. Deut. XXXII.

1. Sam II. Luc. I. item *elogia*, ut Johannis Baptiſtæ, & heroum fidei, Matth. XI. Hebr. XI. & loca omnia, quæ de fructibus Spiritûs agunt Pſ. XV. CXIX. Eſ. XI, 2. Matth. V. VI. VII. Rom. V. 3, 4, 5. XII. XIII. &c. 1. Cor. VI. VII. VIII. XIII. XIV. 2. Cor. VI. Gal. V. Eph. III, 16. &c. IV. V. Philipp. II. III. IV. Coloſſ. III. 1. Theſſal. IV. 2. Theſſ. I. III. 1. Tim. I. &c. 2. Tim. I. &c. Tit. I. &c. Heb. X. XI. XII. XIII. nec non Epiſtolæ *Catholicæ* omnes.

(3) CHRYSOSTOMUS *in Matthæum Homil.* XLVII. virtutem confert cum humano corpore, eique ſua membra asſignat. *Quodnam eſt caput virtutis? Humilitas. Hoc caput pro crinibus atque comis offert hoſtias Deo gratisſimas: hoc aureum certè altare eſt, hæc ara ſpiritualis. Unde conſtat facies? Ab erubeſcentia atque pudore. Quodſi oculos quoque velis aſpicere, conſidera modeſtiâ & verecundiâ magno ſtudio depictos: unde non ſolùm ſpecioſi ſunt, verùm etiam tanto acumine pollent, ut ipſum & Dominum videant. Os ejus eſt ſapientia & intelligentia, atque ſpirituales ſcire hymnos: cor verò, Scripturarum peritia, & verorum dogmatum conſervatio, miſericordia & benignitas. Habet etiam manus & pedes, bonorum operum demonſtrationes. Habet etiam animam, pietatem: habet pectus aureum, ac adamante robuſtius, fortitudinem.* Quemadmodum autem his enumeratis partibus corpus haud abſolvitur, ſed innumeras continet ita reconditas, ut nemo par ſit iis recenſendis: ſic multò etiam plures virtutis ſunt receſſus, quos mirantem penitus rimari quenquam poſſe, non eſt conſentaneum. Quemadmodum porrò pulchritudo corporis una eſt, quæ reſultat ex *συμμετρίᾳ* diverſarum partium conſpirante; ita enaſcitur & animi pulchritudo, ſi pax in CHRISTO cuſtoditur, atque in ea affectus quilibet unà conſentiunt. Lege ſis etiam atque etiam *Sapient. Sal.* VII. caput totum. Hinc non à pro-

à profanis modò, ſed & ſacris & *Canonicis* Scriptoribus Græcis, bonum dicitur *καλὸν*, virtutísque *certamen pulchrum*, & *pulcher miles* JESU CHRISTI. 2. Tim. IV, 7. II, 3. Conf. Philipp. IV, 8, 9. Et inf. C. II. Aph. V. cum §. 4.

CAP. II.

VIRTUTIS UNITAS CONSIDERATUR EX NATURALI THEOLOGIA.

CONSPECTUS.

APH. I. De principio Theologiæ Naturalis. II. Elementa cultûs Dei naturalia. III. Juris Naturæ notitiam teſtari de officiis ac virtutibus, harúmque exercitium teſtari de radice & ſubſtantiâ virtutis ſimplici atque unâ. IV. Diviſionis vulgaris quadripartitæ oſtenditur defectus, ſimúlque inſeparabilis nexus, tanquam unitatis documentum. V. Virtutis, quà unius, optimum nomen Sapientia. VI. Virtuti, ut partes ſeu ſpecies, ita & gradus tribui poſſe, non aliter dignè dignoſcendos, quàm ex Summi Boni verâ agnitione.

APHORISMUS I.

DOctrinam Theologiæ Naturalis, de VIRTUTE, non metimur placitis Ethnicorum, utpote qui *Naturæ lumen*, quod & ipſum non legem humanam, ſed *Dei jus* tradit Rom. I, 32. transmutârunt in tenebras multis modis: ſed derivamus eam è certis cognoſcendi principiis, quæ vel per ſe nota, vel per rectum rationis uſum in promtu ſunt. Interim huic rei ſup-

ſuppetias ferunt haud contemnendas Paganorum teſtimonia, quæ illi de virtute, ut *veritatis* reliquias, detinuêre in ſuâ injuſtitiâ. ibid. v. 18.

NOTA (1) Gentiles non tantùm *veritatem* de Deo transmutârunt in mendacia de idolis, ut *Paulus ad Romanos* c. I. edocet: verùm etiam, qui unum eſſe Deum non ignorârunt nec negârunt, in aliis, quæ unius Dei cultui haud conveniunt, aberrant graviſſimè. Quàm turpis & plus quàm ſtolidus error, omne virtutis fundamentum eruens, cùm FLACCUS Philoſophorum ſui temporis mentem de iis, quæ à Numine ſint petenda, ſic proponit Epiſt. XVIII.

Hæc, ſatis eſt, orare Jovem, qui donat, & aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo.

Quam amentiam TULLIUS, de *Natura Deorum* lib. III. ſub fin. ſuam quoque multò ante Poëtam hunc faciens, declarat fuſius ſequentibus verbis: *Hoc quidem omnes mortales ſic habent; externas commoditates, vineta, ſegetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum; omnem denique commoditatem proſperitatémque vitæ à Diis ſe habere. Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, ſi id donum à Deo, non à nobis haberemus. At verò, aut honoribus aucti, aut re familiari, aut, ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni, aut depulimus mali, cùm Diis gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumtum arbitramur. Numquis, quòd bonus vir eſſet, gratias Diis egit unquam? at, quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis. Iovémque Optimum, Maximum, ob eas res appellant, non quòd nos juſtos, temperatos, ſa-*

pien-

pientes efficiat; ſed, quòd ſalvos, incolumes, opulentos, copioſos. Neque Herculi quiſquam decumam vovit unquam, ſi ſapiens factus eſſet. Quanquam Pythagoras, cùm in Geometria quiddam novi inveniſſet, Muſis bovem immolâſſe dicitur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, à ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam. Quamvis menti delubra, & virtuti; & fidei, conſecremus: tamen hæc in nobis ipſis ſita videmus; ſpei, ſalutis, opis, victoriæ facultas à Diis expetenda eſt. Ita hic inſanientis ſapientiæ conſultus, CICERO, & in multis aliis non minùs, cœcutit, ſuúmque mendacium vult eſſe omnium: qui tamen vix poterat ignorare, quòd cum PLATONE quàmplurimi contrarium aſſeruerint. Atque iterum, quàm vehementer idem iſte errat, ſtatuens, *eum virum bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus injuria!* ut lib. I. & III. de *Officiis* ſat cogitatè comminiſcitur. Quaſi verò liceat, laceſſito injuriâ injuſtitiam rependere! Qualia, perverſæ caliginis plena, haud deſunt plura in libris *Tullianis*, & quidem iis ipſis poſterioribus; qui tamen propter alia, de virtute ſapienter ſcripta, laudantur non immeritò.

(2) ERASMUS in & de L. A. SENECA. *Si legas illum, ut Paganum, ſcripſit Chriſtianè: ſi, ut Chriſtianum, ſcripſit Paganicè. Cùm autem in illo ſint plurima, quæ ſegnitiem noſtram poſſint ad virtutis ſtudium accendere, habebunt eadem acriores aculeos, ſi cogitemus, ab Ethnico profecta. Apud illos enim ſunt quædam ita dicta geſtáve, ut juxta Chriſtianam quidem Philoſophiam vehementer ſint improbanda, præ ſe ferant tamen miram virtutis indolem: velut illud Socratis; Hoc unum ſcio, quòd nihil ſcio; cùm ſit abſurdè dictum, tamen exprobrat nobis noſtram arrogantiam, Et Lucretiæ*

ſa-

factum, cùm ſit optimo jure deteſtabile, nobis tamen commendat pudicitiæ ſtudium: & hoc efficacius commendat, quòd exemplum ab Ethnica fœmina profectum ſit. Itaque quod ad mores attinet, majore fructu legetur Seneca, ſi legatur, ut, quemadmodum fuit, Paganus. Nam & Chriſtianè dicta vehementius afficient, &, ſecus dicta, minus lædent. Idem eſto judicium de ſimilibus Ethnicorum ſcriptis! Quæ ſanè ſi tantopere nos juvant dictis paradoxis, aut ſpecioſis facinoribus, quantò plus emolumenti afferent, ubi occinunt veræ virtutis ipſas regulas formuláſque; ab autoribus minimè quidem agnitas, humanum tamen affectum adeò trahentes in æmulam admirationem magis, quòd non acceptæ ſunt è verbo Dei!

APHORISMUS II.

Naturæ ductu conſtat, Deum patefeciſſe & manifeſtum reddidiſſe hominibus id, quod de DEO cognoſci poteſt, tanquam veritatem, & judicium ſecundum veritatem, ex ipſo *jure Dei* agnito, quòd, *facientes mala, digni morte* ſint. [conf. Rom. I, 18, 19. 32. II, 2.] *Oſtendunt* enim, *opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum, unà teſtimonium perhibente conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* [conf. Rom. II, 14, 15.] Creatoris quoque *inviſibilia, æterna potentia ac divinitas* reliquorum attributorum, intelliguntur ex operibus, creationiſque & conſervationis beneficiis quotidianis. [Conf. Rom. I, 20. Act. XIV, 15, 16, 17.] Nec ignotus eſt finis huius patefactæ bonitatis, ut illi *ducantur ad pœnitentiam*, & *quærant Deum, ſi fortè ipſum palpent, & inveniant* præſentem atque efficacem in ſemet ipſis; útque eum agnoſcendo *ſapientes fiant*, colentes *glorificent Deum, & gratias agant ſerviántque*, non creaturæ, ſed *Creatori benedicto in ſecula:* [Conf. Act. XVII, 23. 27. Rom. I, 21. 25. II, 3, 4.] tum verò, ut alioqui *inexcuſabiles* ſint. [conf. ibid. v. 20.] Cultus Dei autem, ſeu virtutis ſtudium, per rationis viam invitat homines ad Dei *gratiam* ac *gloriam, pacem, incorruptibilitatem,* ſeu vitam æternam: injuſtitia verò, *contentionis* & *incredulitatis* plena, portendit per ſe *indignationem, iram, afflictionem, anguſtiam.* [conf. Joh. V, 44. Rom. II, 7, 8, 9, 10.]

NOTA (1) JOH. MUSÆUS Introd. in Theol. p. 31, 32. ſcitè docet, quomodo illa cognoſcenda & agenda

genda, quæ *per accidens*, & ex hominum culpâ, intercidunt, propterà non reputari debeant, tanquam a Theologiâ Naturali aliena. Quod ipſum porrò vel inde fit cognitu facilius, quod multa, quæ ad Deum colendum, & vitam honeſtati jurique naturæ convenienter inſtituendam faciunt, à mentibus quorundam, vel & totarum gentium deleta videantur, quum tamen apud alios ſingulares homines, vel & populos, inveniantur quodammodo. CICERONI *Tuſcul. Quæſt.* lib. II. dicenti ad *Antonium: Evolve diligenter librum Platonis, qui eſt de anima; amplius, quod deſideres, nihil eſt:* hic reſpondet: *Feci me hercle, & quidem ſæpius: ſed neſcio quomodo, dum lego, aſſentior; cum poſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animarum cogitare incipio, omnis illa aſſenſio elabitur.* Quod quum viro docto in horâ eâdem, qua legerat, potuerit accidere; quam peccati originalis labem eſſe intimam, is quidem ignoravit: ecquid de aliis Ethnicis, propter majora impedimenta, & temporum intervalla, non judicandum?

(2) Preces ad Deum eſſe neceſſarias, tam pro virtutibus intellectualibus, quàm reliquis impetrandis, Ethnicorum multi agnovêre. PLATO, ſub perſona Timæi, in *Dialogo de natura*; *Quum omnes*, ait, *qui mentis quoquo modo compotes ſunt, in operis cujuslibet, vel magni, vel parvi, principio invocare Deum ſoleant; quantò nos æquius eſt, de univerſo, ſive genitum ſit, ſive ingenitum, diſputaturos, niſi fortè deſipimus, invocare divinam opem! Ergò precamur, inprimis quidem, ut ea dicantur à nobis, quæ Deo placeant; deinde, ut nobis ipſi conſtemus: tum, ut & vos facilè aſſequamini, & ego ſecundum mentis propoſitum rem ipſam, qua de agitur, tranſeam.* Et, in *Critiâ: Medicinam nobis à Deo medicinarum omnium perfectiſſimam ſaluberrimamque dari ſcientiam, exoptamus.* Idem

Idem in *Alcibiade* II. ſub finem: poſtquam fusè docuit, non nôſſe homines, quomodo preces ſatis rectè inſtituendæ ſint; eò delabitur, ut ſtatuat cum *Lacedæmoniis*, (*Abrahami* poſteris 1. Maccab. XII, 21. prolapſis in *Paganiſmum*) *Deum non tam reſpicere ad donaria & ſacrificia, quàm ad animum, utrum juſtus ſanctusque ſit*; &, vel cum iisdem petenda modò, non quæ mortalibus videantur bona, ſed quæ coram ipſo Deo talia judicentur, vel *exſpectandum eſſe præceptorem, qui ab animo humano caliginem auferat, doceatque, ad Deum, atque ad homines, quemadmodum habere ſe deceat.* Quem quidem quàm primum adventaturum, promittit; perinde ac ſi & ille audiviſſet de exſpectatione Israeliticâ id ipſum, quod Samaritis pronunciat Joh. IV, 25. conf. v. 22. SENECA lib. XVII. Natur. Quæſt. c. XXX. *Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur; quantum hoc magis facere debemus, cùm de Dei natura diſputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, ne quid ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur.* Ita verò ſi Gentiles fuêre affecti, quantò majorem puriorémque hanc ſolicitudinem apud nos, ſpiritu Chriſti unctos, loquentes de myſteriis ſuis, Pater Luminum explorabit!

(3) Fatendum eſt, pleroſque Gentilium virtutis finem poſuiſſe in nominis ſui gloria & immortalitate. GREGORIUS NAZIANZ. Orat. III. *Virtus ipſis* (Philoſophis externis) *ſpecioſum duntaxat nomen eſt, nec ultra hanc vitam porrigitur, nec ullâ poſteà rerum in hac vitâ geſtarum cenſurâ injuſtitiam reprimens.* Conf. AUGUSTINUS de Civitate Dei lib. V. c. XII. XIII. XIV. XX. Nec diffitendum tamen, cum Platone perductos eò non paucos, ut ſcopum virtutis ad Deum referrent. De quo idem ibidem prolixè agit lib.

lib. VIII. Primò audiamus Epiſcopi verba c. IV. quibus ex Theologia Naturali, ſecundum Platonis ſententiam, finem in Deo collocat. *Si*, inquit, *homo ita creatus eſt, ut per id, quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id eſt, unum verum optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus uſus expedit: ipſe quæratur, ubi nobis omnia ſunt ſecura*; vel, ut alii legunt, *ubi nobis certa ſunt omnia: ipſe cernatur, ubi nobis certa ſunt omnia*; vel, *ubi nobis vera ſunt omnia: ipſe diligatur, ubi nobis recta ſunt omnia.* Deinde c. VIII. Platonicis, aliiſque idem aſſerentibus de ſummo bono, tribuit principatum ita: *Cedant omnes Philoſophi illis, qui non dixerunt, beatum eſſe hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo. Non ſicut corpore, vel ſe ipſo animus, aut ſicut amico amicus, ſed ſicut luce oculus.* Et plenius initio cap. IX. *Satis ſit, commemorare, quòd Plato determinet, finem boni eſſe, ſecundum virtutem vivere, idque ei ſoli evenire poſſe, qui notitiam Dei habeat & imitationem, nec eſſe aliam ob cauſſam beatum. Ideòque non dubitat, hoc eſſe philoſophari, amare Deum, cujus natura ſit incorporalis. Unde utique colligitur, tunc fore beatum ſtudioſum ſapientiæ, id enim eſt philoſophus, quum Deo frui cœperit. Quamvis enim non continuò beatus ſit, qui eo fruitur, quod amat; multi enim amando ea, quæ amanda non ſunt, miſeri ſunt, & miſeriores, cum fruuntur: nemo tamen beatus eſt, qui eo, quod amat, non fruitur. Nam & ipſi, qui res non amandas amant, non ſe beatos eſſe amando putant, ſed fruendo. Quiſquis ergò fruitur eo, quod amat, verúmque & ſummum bonum amat, quis eum beatum, niſi miſerrimus, negat? Ipſum autem verum ac ſummum bonum Plato dicit Deum; unde vult, eſſe Philoſophum amatorem Dei, ut, quoniam ad beatam vitam tendit, fruens Deo ſit beatus, qui Deum amaverit. Quicunque igitur Philoſophi de Deo ſummo & vero ita ſenſerunt, quòd & rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcendarum,*

darum,

darum, & bonum agendarum: quod ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ: ſive Platonici accommodatius, ſive quodlibet aliud ſectæ ſuæ nomen imponant: ſive tantummodò Jonici generis, qui in eis præcipui fuerunt, iſta ſenſerint, ſicut idem Plato, & qui eum benè intellexerunt: ſive etiam Italici, propter Pythagoram, & Pythagoreos, & ſi qui fortè alii ejusdem ſententiæ indices fuerunt: ſive aliarum quoque gentium, qui ſapientes vel Philoſophi habiti ſunt, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hiſpani, aliique reperiuntur, qui hoc viderint, ac docuerint; eos omnes cæteris anteponimus, eóſque nobis propinquiores fatemur. Quibuscum videantur *Notæ LUDOVICI VIVIS*, in Auguſtini dicta commentantis, & decerpentis è Platone, præter cætera; quòd in *Convivio Diotima ad Socratem: Quæſo te, an non admirandam eſſe vitam ejusce hominis cenſes, qui illud (pulchrum, ſincerum, & purum putum, divinum numen, ſui ſemper ſimile ac conforme) ſpectet, qui id, quod optat, intueatur, & cum eo habitet? O ſolidæ & germanæ compotem virtutis, hàncque ob cauſſam præpotenti Deo amicum, &, ſi quis eſt alius, immortalem!* Item, ex *de legibus* quarto: *Sapientem virum dies ac noctes cogitare illud debere, quemadmodum Deum ſequatur, illúmque ſibi potiùs, quàm mortalium quemvis, menſuram rerum & canonem præſtituat, præſtétque ſe, quàm maximè poterit, illius ſimilem; neque enim aliter amicum unquam Dei fore.* Ne verò iſthæc de præſente ſolummodò vita accipiantur, addit, quomodo maximam & conſummatam beatitudinem poſt vitam ſtatuat. Ex *Epinomide: ſpem eſſe bonam, ut poſt vitam conſequatur ea omnia, quorum gratia vitam optimè atque honeſtiſſimè, quantum præſtari ab eo poterat, & traduxit & depoſuit.* Et, è fine operis ejusdem: *quùm deceſſerit de hac vita, non vulgari & communi conditione, quemadmodum quùm viveret, ſed ſingulari quadam futurum beatiſſimum,*

mum, & ſapientiſſimum ſimul & fortunatum redditum. Item, de Republ. *Ecce tibi præmia, quæ viro juſto, præter ea bona, quæ justitia ſecum affert, tribuuntur, præclara ſanè & ſtabilia. Atqui ea omnia nihil neque numero ſunt, neque magnitudine cenſenda, ſi cum iis conferantur, quæ mortuum manent.* Ex *Phædone:* Socratem dixiſſe; *dum in hac vita ſumus, ita nos ipſi debemus parare, ut quàm minimum fieri poterit, cum corpore ſit nobis commercii; ita fiet, ut quadantenus ad ſcientiam accedamus, cavebimúsque ab ejus contagio, quousque nos Deus ſolvat; ut puri, & à corporis vitiis liberati, cum ſimilibus, ut par eſt, verſemur, cognoſcamúsque per nos ipſos ea, quæ integra & incerta ſunt, quod eſt verum ipſum; quæ ſi ad hunc ſe modum habent, magna ſpes eſt, proficiſcentem, quò nunc ego, ſi alibi usquam, & ibi futurum compotem rei, quam ut conſequeremur, tot perpeſſi ſumus in vitâ labores.* Et pòſt: *Si verò Philoſophus eſt, illa apud eum opinio valere multum debet, ut non alibi puram ſapientiam conſequi ſe ſperet, quàm poſt vitam.*

APHORISMUS III.

SEcundum antecedentia, vi conſcientiæ ſemper agnitum fuit, Virtutem eſſe *affectionem animi* rectam, eámq; conſtantem; ſive *artem*, interiùs præſtandam viriliter, ad benè beatéque vivendum: eandémque adeò ſimplicem exiſtere, ut, ubicunque reperiatur, non niſi *una* reſideat in fundamento; quod quidem, non tam ex ipſius indole ſeu naturâ, quàm ſejunctarum virtutum *defectu* ſingularum, primò animadverſum videtur. Quò magis autem homo fuerit honeſto

ac decoro deditus, ſerióque Dei cultui; eò abfuerit propiùs, neceſſe eſt, ab indaganda virtutis ſimplicitate. Habet enim hæc, retinétque omni modo, *indiviſam exiſtentiam* atque *eſſentiam*, non multas; etiamſi, pro diverſis ac variis *reſpectibus*, diverſa ac varia videatur, uſurpetur.

NOTA (1) Virtutem, indicato cum ſenſu, appellationis originem accepiſſe à viro, ſæpiùs teſtatur CICERO in *Tuſculanis quæſtionibus.* AUGUSTINUS de Civ. Dei l. IV. c. XXI. inquit: *Ars ipſa benè rectéque vivendi, virtus à Veteribus definita eſt. Unde ab eo, quod Græcè ἀρετὴ dicitur virtus, nomen ARTIS Latinos traduxiſſe, putaverunt.* Idem virtutis ſtatum firmum, ſeu *durantem*, ex omnium Philoſophorum conſenſu, ſic deſcribit ibid. l. IX. c. III. *Mens, ubi fixa eſt iſta ſententia, nullas perturbationes, etiamſi accidant inferioribus animi partibus, in ſe contra rationem prævalere permittit: quin imò ipſa dominatur, eisque non conſentiendo, ſed potiùs reſiſtendo, regnum virtutis exercet. Talem deſcribit etiam Virgilius Æneam, ubi ait:*

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

Et ſuprà ibidem: *Inter animum ſapientis & ſtulti id intereſſe cenſent, quòd ſtulti animus paſſionibus cedit atque accommodat mentis aſſenſum; Sapientis autem, quamvis eas neceſſitate patiatur, retinet tamen de his, quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram & ſtabilem inconcuſſa mente ſententiam.* Item: *Perturbationes nequaquam ſapientiam, qua utique ſapiens eſt, ullo errore obnubilant, aut labe ſubvertunt: accidunt autem animo ſapientis, ſalva ſerenitate ſapientiæ.*

(2) CICERO de *Officiis* l. II. c. X. *Ne quis ſit admiratus,*
cur, quum inter omnes Philoſophos conſtet, à méque ipſo ſatis diſputa-
tum ſit , qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita ſejun-
gam, quaſi poſſet quiſpiam, qui non idem prudens ſit, juſtus eſſe : alia
eſt illa, cùm veritas ipſa limatur, in diſputatione ſubtilitas ; alia, cùm ad
opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vul-
gus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos viros, alios pruden-
tes dicamus; popularibus enim verbis eſt agendum, & uſitatis, quum
loquamur de opinione populari. Et *Tuſcul. Quæſt.* l. II. *Ecquid*
ſcis, virtutem ſi unam amiſeris; etſi amitti non poteſt virtus; ſed, ſi
unam confeſſus fueris te non habere, nullam te eſſe habiturum?
Mirum ſane, Tullium illum, qui tam dementer negavit, virtutem à Deo obtineri, concedere tamen, quòd virtus ſit una. Poterat enim huic cognitioni obſtare, quòd opinaretur, ſola exercitationum aſſiduitate, accedente ad inſtitutionem atque indolem, mores honeſtos acquiri. Cur verò non credebat, unam virtutem exercitio conciliari poſſe, omiſſà alterâ? Nimirum prohibebatur communi Stoicorum ac Peripateticorum hypotheſi, eſſe inter omnes virtutes ἀντακολούθησιν, ſeu connexionem ejusmodi, ut, ubi una ſit virtus perfecta, ibi ſint reliquæ omnes. Prohibebatur conſcientia teſte, quæ refugit longè à tribuenda bona exiſtimatione illi, cui aliqua honeſti pars deſit. Atque ita aſſequebatur quidem à *poſteriori*, naturam *moralitatis* non poſſe dividi, victus ſuperſtitis interni teſtimonii veritate: attamen ſibi ipſe parum conſentiebat, cùm virtutem ſic inſtituit, quæ nihil conjunctum haberet cum Deo, tanquam autore; ſine quo tamen nec φύσις, nec μάθησις, nec ἄσκησις, nedum illud bonum, ſeu pulchrum, quod ſimplex eſt. AUGUST. de Civ. D. l. IV. c. XX. *Virtutem quoque Deam fecerunt: quæ quidem ſi Dea eſſet, multis fuerat præferenda. Et nunc, quia Dea non eſt, ſed donum Dei, ipſa ab illo impetretur, à quo ſolo dari poteſt!*

(3) Inter ea, quæ *unum numero* ſunt, quatenus ſpectamus rem ipſam, Virtus omninò & merito refertur. *Ratione* quidem, cujusvis propriâ, virtutes apparent *diſparatæ*, v. c. iſtæ quatuor; prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia: at, ſi res ac ſubſtantia earum exploratur, hæc una omnium exiſtit, ipſam conſtituens virtutem unicam, quæ propterea non *impropriè*, ſed *propriè unum per ſe eſt*. Diviſæ autem virtutes manent unum *re*, licet non *ratione*; *abſolutè*, licet non *reſpectivè*; *realiter*, licet, poſito diviſionis ſenſu, ratione hujus habitâ, non *formaliter*.

(4) Unum, eſt quoddam *TOTUM*. Quapropter nec Prudentia eſt virtus, niſi quæ ſimul eſt Juſtitia; nec Juſtitia, niſi quæ ſimul Prudentia; nec Temperantia, aut Fortitudo, niſi quæ ſimul reliquas tres proprietates habeat. Nam unum, quod dividitur, minuitur. Virtus, quæ dividi non poteſt, ſi quaſi dividitur, quaſi decreſcit; unita, augetur quaſi, redítque ad ſubſtantiam ſuam plenam ac veriſſimam.

(5) *Indiviſibilitas* tamen haud facit unitatem; ſed, unitatem potiùs ſequitur, fundatur in unitate. Nec verò, indiviſibilitas virtutis, eſt quædam *privatio*, ut vi vocis ſonat; verùm, *conſequens* unitatis neceſſarium: quemadmodum non eſt impotentia in beatis, non poſſe peccare; nec imperfectio eſt, quæ dicitur immutabilitas, immortalitas. Virtus igitur, quò minùs dividitur, eò plus perfectionis videtur retinere ac tueri.

(6) Virtutes *multæ*, non ſunt exiſtentiæ multæ ſeu eſſentiæ virtutis; ſed, unius eſſentiæ atque exiſtentiæ proprietates plures diverſæque. Hæc autem pluralitas non opponitur unitati, ut diviſibilitas: quatenus enim

enim Prudentia eſt virtus, una, ſeu unum eſt cum Juſtitiâ virtute; ſed, quatenus á Juſtitia diviſa conſideratur Prudentia, non eſt *virtus*, videtur quippe tantummodò *hæc virtus*. Atqui, eſſe hanc, ſignificat quodammodò, non eſſe illam. Interveniens namque diviſio efficit, ut defectus nonnullus perfectionis, qua tanquam unum debebant congruere, utrobique prodatur; ſaltem *ratione*, ſi non in re *ipſa* & *ſubjecto*, propter expreſſam formam diſcrepantem. Unde, ſi quis ſtatuerit, Virtutem non eſſe unam, quoniam diſpertitur in quatuor, vel plures; hic perperam argumentatur. Neque etenim ſunt virtutes, quoad dividuntur, ſejunctæ per *abſtractionem:* veruntamen ſunt, quatenus eandem virtutis unitatem habent, atque ex hac æſtimantur in hominibus, ſeu *ſubjectivè*.

APHORISMUS IV.

DOctrinæ cauſſâ utiliter ac pulchrè dividi ſolet virtus, pro vulgari concipiendi modo, in partes quaſi extra partes, ſeu ſpecies quàm plurimas, inter ſe diſparatas. Communior Veterum diviſio quadripartita, [ut una ſit cognitionis, *Prudentia*, altera communitatis, *Juſtitia*, tertia magnanimitatis, *Fortitudo*, quarta moderationis, *Temperantia*] benè quidem hominis ac rerum neceſſariam conditionem ſequitur, ſed defectu præcipuæ virtutis laborat, nempe SANCTITATIS. [conf. ſup. C. I. Aph. V.] Admittit tamen facilem hæc partitio emendationem, ſi loco *prudentiæ* [Civilis Facultatis] ponatur

ponatur *Sapientia;* idque eo fiat ſenſu, ut, non tantùm de humanis, ſignificet unà cum ſcientia juſtam diſpenſandi ſolicitudinem, verùm de divinis pariter cultûs Dei & intelligendi & exercendi ſanctimoniam, ſicuti in ipſa Scriptura S. paſſim uſu venit. Cæterùm iſthas quatuor ita inter ſe eſſe colligatas atque implicitas, ut vel ad duas, unam intellectûs, voluntatíſque alteram; vel ad unam, velut rivuli in fontem ſuum, refluant, ſive intellectûs, *Sapientiam*, ſeu voluntatis, *Charitatem*, reliquis ſat commodè incluſis: hoc quidem jam tum antiquitus obſervatum, ut vidimus Aph. III. §. 2. C. I. Aph. IV. &c. neque aliud eſt, quam, quod contendimus, unam re ipſa virtutem exiſtere. * Conf. de aureâ catenâ, ſeu annulo, MACARIUS *de cuſtodia cordis*, c. VIII. & Hom. XL, 1. &c. LUTH. Sermon. *de Bonis Operibus*. Tom. I. Jen. Germ. It. ſuprà HIERON. C. I. APH. II. §. 3.

NOTA (1) De SOCRATE *Plutarchus* refert, quòd ei, Menonem Theſſalum interroganti, virtus quid eſſet? ſatis promtè ac protervè hic reſponderit: *eſt virtus & pueri, & ſenis, & viri, & fœminæ, & magiſtratus, & privati, & domini, & ſervi.* Cui Socrates: tu verò præclarè; qui, *de una interrogatus virtute, velut apiarium quoddam virtutum excitâſti!* innuens, ab homine, qui ne unicam quidem virtutem haberet cognitam, plures

F nomi-

nominari. Tam abſtruſa atque ad excogitandum recondita eſt ſimplex virtutis natura, ut rudiores animi loco definitionis facilè diuiſionem proferant, eámque non proximam, ſed vel extremam! Cuiusmodi hebetioribus ingeniis mederi voluêre,qui,quomodo *transcendentia* per *negationes* ac *ſimilitudines* declarantur, ſic etiam virtutis deſcribendæ ac dividendæ formam adumbrârunt. Ita HORATIUS:

Virtus eſt, vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitiâ caruiſſe.

Eandem ob cauſſam ARISTOTELES *in Rhetoricis* commendat populares virtutis deſcriptiones, tanquam accommodatiores concionibus: *in Nicomachicis* autem exquiſitiores tradit. *Alexander* APHRODISIENSIS virtutem in dividendo comparat cum centro circuli, quod unum eſt reapſe,eſt tamen & varium ac multiplex; intuitus varietatem linearum, quæ ex eo in diverſas partes producuntur & regiones,atque efficiunt,ut idem & huius & illius lineæ terminus appelletur. Alii æquiparant *Honeſti* naturam mari,quod hic Britannicum, illic Atlanticum, alibi Indicum, à littoribus ſingulis connotatum, & nihilominus totum eſt Oceanus. Conf. c. I. Aph. VII. Not. 3.

(2) Quadripartitam diviſionem, quam nec *Sapientiæ* autor reſpuit c. VIII, 6, 7. PATRES unanimiter Philoſophis *Græcis* acceptam referunt, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, HIERONYMUS, innumeris locis. Non aliter CICERO, Latinæ Philoſophiæ princeps: quem in conſcribendis *tribus officiorum libris* imitatus eſt S. AMBROSIUS; ſed,mente Chriſtianâ, atque eâ æmulatione, qualis aquilarum propria, quæ antegreſſas volucres incredibiliter infra ſe linquunt. Itaque & hic docet L. I. c. XXVII. &c. quòd virtutes illæ quatuor *ita perplexæ ſint, ut*

ut ab invicem ſeparari nequeant; verùm unionis huius ſcaturiginem, ſeu fundamentum, deſignat *pietatem in Deum*, atque hinc *naſcentem charitatem.* Nam pietas in Deum ſi oculus fiat intra hominem, quo alter alterum reſpiciat; inde adoleſcit demum univerſè iſthæc animi firmitas, quam quærimus.

CICERO quidem *Quæſt. Tuſcul.* l. I. hanc emittit confeſſionem: *Philoſophia nos primùm ad Dei cultum, deinde ad jus hominum, tum ad modeſtiam magnitudinémque animi, erudivit.* Quibus verbis virtutes ſortiri ſic videtur, ut pietatem velit primam. Quò magis equidem miror, ubi ex inſtituto quatuor locos explicet, tam frigidè ipſum tractare prudentiam, ut huius ad Deum ante omnia referendæ mentionem nullam fecerit. Neque eſt, quod quis Veteres putet ideò excuſandos, quòd quatuor *civiles* obſervârint virtutes,quæ autem ad *Religionem* ſpectet, eam ſuo reliquerint loco. Etenim hanc diviſionis partem prætermittere, vitium erat tantum, ac ſi hominis ſubſtantia divideretur in membra corporis ſine animâ. Niſi enim virtutes primario reſpectu religentur ac colligantur in DEUM, privantur *fine* ſuo, ex quo actio quævis cenſenda; privantur & ſupremâ auctoritate, ſeu neceſſitate *obligandi*, tanquam robore ſuo, ſine quo vel nullæ, vel temerariæ, hoc eſt, ſolidæ rationis expertes ſunt Rom. XII, 1. 1 Pet. II, 1. id quod nihil eſt aliud, quàm nullæ: in quibus duobus omnis benè agendi nervus conſiſtit. Et verò, quum ipſa auctoritas humana quævis ſubdita juri ſit à DEO, neceſſe eſt, diuinâ autoritate conſcientia obligetur.

(3) *Prudentia* & *Sapientia*, in *de Officiis* L. I. ſub finem, ita diſcernuntur, ut illa ſit *rerum expetendarum fugiendarumque ſcientia;* hæc autem *rerum divinarum atque humanarum (cauſſarumque, quibus hæ res continentur,* l. II.) *ſci-*

ſcientia : in quâ poſteriore contineatur *Dei & hominum communitas*, *& ſocietas inter ipſos*. Quocirca in Ethnicis atque Chriſtianis ſcriptis vocatur *ſapiens*, non modò, qui res divinas humanáſque habeat exploratas, verùm etiam maximè, qui huic ſcientiæ vitam in colendo Deo, expetendiſque bonis ac fugiendis malis, accommodet.

(4) Diviſio virtutum multis modis apud Autores differt, quæ tamen omnis ad quadripartitam ſine difficultate reducitur. Atque hanc ipſam contrahi poſſe, dubio vacat, ſi virtus in fundamento intelligitur eſſe una. Itaque viderunt jam olim non nulli, trium poſteriorum, quas *morales* dicunt, duas, juſtitiam & fortitudinem, ſub tertiâ, nempe temperantiâ, comprehendi; & hac ratione tantùm manere duas: *Prudentiam* & *Temperantiam*. Quis verò non cernit, prudentiam ultrò reſolvi in ſapientiam, veluti matrem; & temperantiam, ſi vera ſit, ipſam eſſe charitatem ſanctè ordinatam: charitatémque ſub ſapientiâ, & ſapientiam ſub charitate, quarum neutra ſine altera detur, optimè animadverti? Quid ergo? ſol virtutis unicus eſt, ſive ignis voluntatis, ſive lux intellectûs, ad animum revocetur.

(5) Atque iterum hinc cognoſcimus, virtutem intellectualem, *Sapientiam*, practicam eſſe omninò, iuxta illud *Platonis in Offic. Cic.* L. I. *Scientia, quæ eſt remota à juſtitiâ, calliditas potiùs, quàm ſapientia, eſt appellanda.* Et SENECÆ, Epiſt. LXXI. *ipſam virtutem in parte noſtri meliore, id eſt, rationali poſitam. Quid erit hæc virtus? judicium verum, & immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis ſpecies, quæ impetum movet, redigetur ad liquidum.* Conf. ſup. C. I. Aph. III. N. 2. & Aph. IV. N. 1.

APHO-

APHORISMUS V.

Videtur autem virtus, quatenus una, ſpecialiore vocabulo expreſſiſſimè dici SAPIENTIA: unde & ſapientia, in profanis æquè ac ſacris litterarum monumentis, princeps virtutum omnium eſt ſemper tradita, virtutisque ſtudio addicti *ſapientes* denominantur. Nec negandum quidem, eosdem *juſtos* appellari: quoniam verò ſapientia dirigit juſtitiam, non item hæc eam, licet ei adſit, tanquam *eſſentialis* proprietas, ſine qua neque eſſe neque manere poteſt ſapientia; idcircò ſplendor ipſius virtutis minor in juſtitiæ, maior in ſapientiæ nomine apparet. Ita ſit, ut juſtus dicatur, qui juſtè agat; prudens, qui cogitet prudenter; ſapiens, qui cogitet agátque & prudenter, & juſtè, & fortiter, & moderatè, & piè. Tanquam *una* conſideratur etiam virtus, ſi prædicatur *interior pulchritudo*, ut NICOL. DAMASCENO &c. *Honeſtas*, ſeu, *Honeſtum*, ut CICERONI, SENECÆ: *Vita ad legem Naturæ ordinata*, ut STOICIS univerſis: *Perfectio*, non abſoluta, ſed cujusvis conditioni propriæ accommodata, ut PERIPATETICIS &c.

 No-

NOTA. (1) Off. Cic. l. II. comparatio inſtituitur inter prudentiam & juſtitiam, quarum hæc *ad faciendam fidem* plus polleat: *quippe quum juſtitia ſine prudentiâ ſatis habeat autoritatis, prudentia ſine juſtitia nihil valeat.* Et quidem rectè. Sapientia autem ipſa ſine juſtitia ne concipitur quidem, neque huic, ut contrà quodammodo prudentia, opponi poteſt.

(2) Sapientiam veram non aſſequi potuiſſe Græcorum & Latinorum ſapientiores, pulcherrimè obſervat Liber BARUCH c. III. præſertim v. 21. &c. nuncupans quidem illos *mythologos & exquiſitores intelligentiæ*, ſed negans, *cognoviſſe viam ſapientiæ, ſemitásque ejus meminiſſe.* Conf. 1. Cor. I, 20, 21. 30. II, 6, 7, 8, 9, 10.

(3) Inter reliquias imaginis Dei naturales vel maximè eſt referendum, quòd natura hominis incredibili ducatur ſapientiæ deſiderio, licet in agnoſcenda ipſa errore nimio evagetur. Qua de re AUGUSTINUS eleganter, *de Civ. Dei* l. VII. c. VII. *Stoici*, ait, *quum pulchros dicant non eſſe, niſi ſapientes, multum mirari ſoleo, quibus ſenſibus corporis iſtam pulchritudinem viderint, quibus oculis carnis formam ſapientiæ decúsque conſpexerint.* CICERO *de officiis* l. I. *Imprimis*, inquit, *hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio. Itaque, cùm ſumus neceſſariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, ac diſcere, cognitionémque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beatéque vivendum neceſſariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum.* Idque (poſt pauca, quibus *ordinem* ſapientiæ adjungit, tanquam præcipuè atque inſigniter proprium) dicit *honeſtum* illud, quod, *etiamſi a nullo laudetur, laudabile ſit naturâ*; de quo *Plato* præclare ſit loquutus: *Si facies honeſti oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſapientiæ.* Conf. ſuprà C. II. Aph. II. N. 3. excerpta

pta

pta *Lud. Viv.* ad Auguſtinum: it. B. I. ARNDTII de Ver. Chriſt. l. I. c. XXXVII. Ecce autem! vix effatum hoc in lucem publicam retraxerat Conſularis Philoſophus, cùm natus eſt Dei & hominis Filius ſub AUGUSTO, in forma humana ipſam faciem Sapientiæ exhibens veriſſimam. Cecinerunt igitur ignari illi, quod deinceps *Sapientia* ore ſuo exclamavit, diſcipulos nempe alloquens Luc. X, 23. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis! Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiviſſe videre, quæ vós videtis, nec vidiſſe; & audire, quæ auditis, nec audiviſſe.* Quò etiam pertinet: *Sapientiam juſtificatam eſſe à ſuis filiis.* Matth. XI, 19. Luc. VII, 35. At enim quomodo eſt juſtificata? certè ita, vt *totus populus & publicani juſtificarent Deum in Spiritu.* ib. v. 29. conf. 1. Tim. III, 16. Tam mirabiles Sapientiæ amores in ipſis excitati erant, conſpectо atque audito *CHRISTO, qui nobis a Deo factus ſapientia!* 1. Cor. I, 30. *Phariſæi* verò & *Legis interpretes conſilium Dei rejecerunt adverſus ſemet ipſos.* Luc. VII, 30. Quæ cauſſa? quoniam non patiebantur, interiorem ſibi à Spiritu S. aperiri oculum; quo quippe ſolo agnoſcitur verè Sapientia, & ſine quo externi oculi ſunt *tenebræ, lucem veram haud comprehendentes.* Quomodocunque enim *Sapientia Dei* ſe patefaciat, talis non percipitur, niſi *in myſterio*: ſiquidem eam *nemo principum ſeculi hujus cognovit; nam, ſi cognoviſſent, nequaquam crucifixiſſent Dominum Gloriæ.* 1. Cor. II, 7, 8. conf. Luc. XI, 49. Nulli ergò ſunt alii, quàm crucifigentes *pulcherrimum ex hominibus* Pſ. XLV, 2. quos audimus criminari apud ESAIAM c. LIII, 2, 3. *non forma illi, nec decor: vidimus eum, ſed non adſpectus: ergone deſideraremus eum? Deſpectus fuit, & contemtiſſimus virorum: vir dolorum, & expertus infirmitatem; unde quaſi occultatio facierum ab ipſo: contemtus adeò, ut nec reputaverimus*

eum.

eum. Quum verò à mortuis reſurgeret triumphans Sapientia, quàm admirabiles ſui amores tum excitavit! De quibus & omnes DOMINI apparitiones, & ſolennia Pentecoſtalia, Apoſtolorum quoque dicta & miracula, Martyrum denique beatiſſima in tormentis gaudia teſtantur. Atque hi ipſi Martyres ac Confeſſores unicâ voce iſtâ, CHRISTIANUS SUM, quid in *ſtatu Confeſſionis* ſignificârunt aliud, quàm unius veræ Sapientiæ admiratores ſeſe & amatores haberi velle? Conf. EUSEBII Hiſt. Eccl. lib. IV, c. XV. XVI. XVII. lib. V. c. I. II. lib. VI. c. V. VIII. ubi NARCISSUS, qui in Chriſtianæ virtutis amore annos ſexdecim ſupra centum ſuperavit, eodem ſenſu dicitur *Philoſophus*. &c.

(4) Pulchritudinis laudem virtus accepit ab ordine & decoro, ut ſcitè obſervat diſertiſſimus Romuli nepotum *de Offic.* l. I. *Nullum aliud animal, quàm homo, eorum ipſorum, quæ aſpectu ſentiuntur, pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura, ratióque ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factisque conſervandum putat, cavétque, nequid indecorè, effœminatéve faciat: tum in omnibus opinionibus, & factis, ne quid libidinosè aut faciat, aut cogitet. Quibus ex rebus conſlatur, & efficitur id, qnod quærimus, honeſtum.* Et ibidem infrà: *Eſt quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis à virtute poteſt, quam re ſeparari. Ut enim venuſtas, & pulchritudo corporis, ſecerni non poteſt à valetudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum quidem illud eſt cum virtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur.* Quin imò

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus
Adjuvat Euryalum.

PLATO internam pulchritudinem paſſim appellat σωφροσύνην, *temperantiam*, ſeu ſtatum animi undiquaque temperatum: atque in *Phædro* introducit Socratem, orantem, *ut ſibi detur, quò efficiatur pulcher*; &, *quæcunque extrinſecus ſibi adſint, interioribus ſint amica*: utque *ſapientem ſolum divitem putet, aurique accipiat tantum, quantum nec ferre, nec ducere poſſit alius, quàm vir temperans.* Chriſtiani diſcunt è *Pſalmo* XLV, 11, 12. animæ pulchritudinem veram non haberi poſſe, niſi in CHRISTO per fidem, qua ipſi ipſa unicè adhærens Pſ. LXIII., 9. in ipſius imaginem transformetur. 2. Cor. III, 17. CLEMENS ALEXANDRINUS *Strom.* V. dicit: *Virtutem, eſſe animæ pulchritudinem; turpitudinem, eius vitium eſſe.* Uberius hic legendus B. Ioh. ARNDIUS de Ver. Chriſt. l. IV. c. VI. it. l. II. c. XLIII. l. III. c. IV. Conf. ſup. C. I. Aph. VII. N. 3.

APHORISMUS VI.

UT multas quaſi *partes* agnoſcit Virtus, ita etiam *gradus*, per quos variis modis vel amplificatur, vel minuitur; prout *agendi principia* interna, externa, bona aut noxia, adſunt, deſunt, accreſcunt, decreſcunt, atque hinc *gratia divina* locum invenit magis minúsve. Inde tamen non tollitur unitas, niſi ipſa virtutis radix penitus aboleatur. Nec verò *eſſentiam* virtutis in *mediocritate* ſitam eſſe, pridem monuerunt, qui experientiâ ſunt edocti, quàm neceſſe ſit, aliquando plus, aliquando minùs, & aliis aliter in rebus affici, operari; quin etiam quandoque provehi

ad extremum, ex quo naſcuntur officia *heroica*. *Plato* igitur non modò *Ariſtotelem*, ſed ſe ipſum quoque ſuperare, in definiendo *ſummo* hominis *bono*, rectè à *Lud.* VIVE judicatur: quanquam is, quod conjecturâ ingenii quadantenus adſequutus, verbíſque profeſſus eſt, ipſa agnitione & affectu verè conſequi nequaquam potuit.

NOTA (1) Quum Naturæ lumen corruptum, quid vera ſit virtus, ignoret, multò minùs de huius gradibus quidquam certi aperire poteſt. Quicquid ergò de illâ viderunt mente ſuâ Gentiles Philoſophi, quamvis plurimum veri haberet, tamen propter verarum virium defectum id omne fiebat *hypocriticum*, ſi rem aggrediebantur ipſius voluntatis ſtudio atque conatu. TULLIUM hîc audimus, veluti confitentem reum: Off. l. I. *Quoniam vivitur non cum perfectis hominibus, plenéque ſapientibus, ſed cum iis, in quibus præclarè agitur, ſi ſint SIMULACRA virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omninò eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat.* Vagatur ſanè hic animus tam ſolutus in errore ſuo, ut, non tam veram virtutem, quàm modò aliquam eius ſignificationem, vel ſimulacra, inter mortales dari, opinetur. Nec multò rectiùs ARISTOTELES 2. *Nicom.* ult. & 4. *Nicom.* V. ſcribens: *Qui paulum à perfectione deflectit, ſive modum aliquantulum ſuperet, ſive etiam aliquantulum eum deſerat, non vituperatur; ſed is tantùm, qui longius, quàm par ſit, ab eo diſcedit.* Neque enim hic cogitationem virtutis gradibus dignam inire poterat, poſtquam eam totam poſuerat in *mediocritate*, extra quam inveniebat

ebat nihil præter *nimium* vel *parum*. Tanti intereſt, per Dei gratiam noviſſe, quòd virtus non ſit vera, ubi

Fors & virtus miſcentur in unum;

nec affectio animi ulla ſit virtus, niſi ipſa hæc tota & una ſit regina, domina & victrix omnium affectuum, *fidei* robore *victoriam de mundo* reportans atque conſeruans! 1. Ioh. V, 4. Quo ex ſtatu, quoad talis permanet, conſequuntur demum *gradus*, nunc maiores, nunc minores: virtus autem non cedit aut ceſſat, donec homo luctam ſpiritûs contra carnem diſſolverit.

(2) *Lud.* VIVES ita iudicat de *Platone* in c. IX. l. VIII. *de civitate Dei* apud Auguſtinum. Nec abludit a vero, ſi Plato aliquid veri de Bono ſummo vidit, ſecundum ea, quæ ſuprà, huius Cap. Aph. II. Not. III. leguntur. Nec tamen verè illud vidit, quod non expertus eſt; ſed iſtam veritatis ſcintillam partim *è traditione* quadam videtur hauſiſſe, partim indagavit ex relictis *principiis* rationis: qua quidem is meliùs, quàm *Ariſtoteles* aliíque, non verò tam benè uſus fuit, ac debebat. Etenim, ſi id factum eſſet, non ei defuiſſet Deus ſua *ſpeciali* gratia: hac autem deſtitutum manſiſſe Platonem, multa eius alia ſat teſtantur. Concludendum ergò:

Vir bonus & ſapiens, in quo omnia
VINCIT HONESTAS!
Sola ſed hanc veram BIBLIA
Sancta docent.

CAP. III.
ADNOTATIONES DE USU.

CONSPECTUS.

PARS I. Tractationem de Virtute, ipſo uſu practicam requiri. II. Veræ virtutis ſubiectum eſſe utramq; facultatem conjunctim, intellectum ac voluntatem; nec dari eius habitum, niſi in unione cum Deo per Chriſtum. III. Medium remotius, per quod virtutis veræ unitas cognoſcatur aliquatenus, apparere ex defectibus Ethnicorum in cauſſis illius explorandis. IV. Eò referenda etiam dicta & facta eorundem ſpecioſiſſima, & Chriſtianorum hypocritica. Unde pateſcit neceſſitas virium ſupernaturalium, ante omnia quærendarum. V. Medium proximum, verſari in legitimo uſu Legis & Evangelii: ex remotioribus autem propiùs ad hoc accedere quamlibet calamitatem, inſervientem contritioni interiori; ſine qua effectum fidei in homine aſſequi nequeat efficacia Evangelica, ſcaturigo omnium virtutum. Qua in praxi oſtenditur utilitas, utrâque ex meditatione, tam eâ, quæ virtutem multiplicem indagat, quàm hac ipsâ, quæ virtutem unam agnoſcit in Spiritûs fundamento. Denique proficiendi ac perſeverandi ſtudium, tribus cum partibus, præſcribitur. VI. Additur primæ iſtarum partium, in precando ſitæ, quòd præter cætera orandum ſit donum Gratiæ, qua excitemur ad ſalutaria. VII. Ad perſeverandum in virtute, fuga arrogantiæ commendatur, miſeriæ humanæ conſcia, & gloriatio in divinâ miſericordiâ.

I.

ANte omnia nos curare oportet, ne circa ſimplicem Virtutis naturam *theoreticè* verſemur: ita enim nunquam cognoſcitur verè, propterea quòd ipſa merè *practica* eſt; tum demum indolem patefaciens ſuam, ſi quàm minima veritatis lux obſequio quàm maximo excipiatur. Proverb. II, 2, 3, 4, 5. Ioh. VII, 17.

II.

VERI, theoreticè ſumti, in eo collocatur vis, ſi intellectus rem ita, ut eſt, capiat. *VERUM*, ſpectatum *practicè*, in animo humano radices non agit, niſi in eo agnito cor æquè, ac mens, connitatur ad Deum ipſum, tanquam Summum Bonum, quo, veritate inſerviente, perfruatur. Hæc prima virtutis via, ad *ambulandum in luce & veritate!* ut teſtatur *prima, ſecunda & tertia* S. IOHANNIS epiſtola.

(2) Falluntur, qui virtutes intellectûs, virtutésque voluntatis, judicant ex eo, quòd quælibet ſuam facultatem, cuius virtus eſt ſeu dicitur, ad munus ſuum rectè, promtè ac facilè obeundum inſtruat. *Phyſicè* quidem, & *theoreticè*, diſtingui ſic poſſunt *potentiæ*, rectè informatæ; unde fit, ut

MULTA viri virtus animo, multúsque recurſet
Mentis honos:

non autem ſic illæ diſcernuntur *practicè* & *moraliter*, nedum ut virtus ſenſu Chriſtiano, ſeu Theologico, accipitur, quæ conflatur utrinque una & ſimpliciſſima. Conf. ſuprà C. II. Aph. III. N. 6. Quamvis enim ἐνέργεια intellectus à voluntate, & voluntatis ab intellectu, in aliquibus ſit diſtincta; ad hoc tamen, ut conſtituatur vera virtus, unaquæque facultas functionem habet *incompletam*, eſtque ordinata utraque eò, ut conjunctim per receptam Chriſti gratiam fruatur Bono Summo, ceu *practico fine*, atque ad hunc utriusque contentio circa omnia collineet, quo DEUS vividè agnoſcatur. Ierem. IX, 23, 24. 1. Cor. I, 30, 31. 2. Cor. IV, 7. X, 17. XII, 9. Conf. C. I. Aph. IV. N. 1.

 3. Ad

III.

Ad virtutis unius veræ indolem inveſtigandam non eſt ſpernendum adjumentum, ſi ſolicitè exquirantur *DEFECTUS*, quibus impediti Ethnici ab ea ſemper aberrârunt. *PRIMUS* eorum fuit, quòd ignorârunt & verum virtutis *finem*, Deum, & *medium*, Verbum Dei. Dolendum, quòd nunquam dignè ſatis utriusque notitia æſtimetur à Chriſtianis. Optimè CHEMNITIUS Loc. Theol. de Deo c. I. §. III. *Candidos Lectores, maximè autem juniores, monitos velim, ut haud gravatim præſtantiſſimi illius autoris, M. Tull. Ciceronis, tres de natura Deorum libros in manus ſumere, eósque diligenter evolvere velint. Tum ex collatione illorum librorum & noſtræ doctrinæ, quæ deſumitur ex verbo Dei, evidentiſſimè cognoſcent, quantæ genlitium, etiam ſapientiſſimorum, tenebræ de vero Deo fuerint, & quanta lux diuinâ gratiâ nobis ſit communicata. Excitabit iſta collatio non ignavos Dei cultores ad ſummam gratiarum actionem pro lumine Verbi, quod nobis indignis, præ cæcis & miſeris iſtis hominibus, eſt communicatum.* Scribunt illi: *Naturæ conſiderationem ac contemplationem eſſe animorum naturale quoddam quaſi pabulum:* aſt quantum beneficium, quòd nos animæ pabulo *ſupernaturali*, eòque divinis viribus redundante, uti & frui poſſimus! Quomodo verò etiam Naturæ lumen lumini Scripturæ & Gratiæ inſervire queat debeátque, ex *Theologia Naturali Arndtianâ*, de Vero Chriſtian. l. IV. præſertim part. II. mirum quantum elucet. Gratias verò agamus DEO per IESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, *quòd tenebræ tranſiverint, & lux vera nunc luceat!* 1. Ioh. II, 8.

(2) *SECUNDUS*: quòd finem Virtutis poſuêre, hujus vitæ felicitatem, ſeu, ut vita naturæ conveniens ageretur.

PANÆTIUS ſtatuit, *in virtutibus idem evenire, ac ſi multis jaculantibus unus proponatur ſcopus, qui variorum contineat lineamenta; deinde ſinguli quidem ſcopum attingere ſtudeant, alius tamen modum ſibi ſtatuat eum attingendi alium: ſic virtutes etiam finem omnes habere beatitudinem, quæ ſit in vitâ naturæ conveniente poſita, hunc autem alios aliter aſſequi.* Licet enim hoc benigniùs interpretemur, quàm LACTANTIUS lib. III. c. VIII. cenſens, hinc conſequuturum, ut belluarum more vivendum eſſet; memores quidem ſatis, quòd per naturæ ductum intellexerint *rectum*, ſeu, cum *Cicerone* ut loquar, juxta *partes conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ, à naturâ nobis datas*, ſiue innatas, excultum *rationis uſum*: tamen ipſe hic autor coactus eſt, de ſe & ſui ſimilibus fateri Off. l. III. *Sed nos veri juris germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus; umbrà, & imaginibus utimur: eáſque ipſas utinam ſequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ principiis, & veritatis exemplis.* Quibus rurſum (conf. C. II. Aph. VI. N. 1.) confitetur, virtutem veram ſe nullam noviſſe. Multò rectiùs PLATO ſuprà C. II. A. II. N. 3. & de Legibus Lib. IV. *Cogitare quisque debet, qua ratione ex eorum numero ſit, qui* (non Naturam, ſed) *Deum ſequantur. Deus profectò nobis rerum omnium maximè ſit menſura, multòque magis, quàm quivis, ut ferunt, homo. Qui igitur huic tali amicus fore ſtudet, neceſſe eſt, ut quam maximè pro viribus talis efficiatur.* Quum verò & ipſe notitiam Dei tantùm *generaliter*, non *verè* ſit conſequutus; non quidem tota ex vano, ſeu mendacio, nec tamen non vana fuit per ſe tota & illa veritatis ſcientia, quippe quæ in tenebris detineretur. Quid CHRISTUS DOMINUS de umbris & imaginibus illis doceat, monſtrat Evangelium *Matthæi* c. V, 46, 47, 48. VI, 32. Unde iis

iis opponit ſequentia ORIGENES, *contra Celſum* lib. IV. *Iuxta noſtrum dogma, eadem* (non, æqualis) *eſt virtus beatorum omnium, ac proinde eadem Dei & hominis. Quapropter DISCIMUS illud præceptum: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Hæc ergò eſt una & ſola virtus vera ac ſolida, qua *unus cum Deo ſpiritus eſt, qui Deo adhæret.* 1. Cor. VI, 17. Nec impeditur magis illa, quàm ſi *eis rebus, quibus utendum eſt, frui voluerimus. UTENDUM* enim natura & mundo, non fruendum, in quo Ethnici errârunt; *FRUENDUM* autem ſolo DEO: ut præclarè diſtinguit AUGUSTINUS *de Doct. Chriſt.* l. I. c. III. IV. V. Quò fideliùs igitur ac conſtantiùs homo ſe aliósque ad hunc finem in omnibus adducere nititur, eò firmiùs in ipſo fundata, & radicata, & ædificata virtus eſt.

(3) *TERTIUS*: quòd Deum, ſicuti non ut finem, ſic neque ut autorem datorémque virtutis agnoſcerent. Conf. C. I. Aph. I. N. 1. Nam, ſi Deum ſibi propoſuiſſent pro *fine* & *norma*, eundem facilè & unicum omnis boni effectorem eſſent venerati cum Platonicis. Quanti autem momenti ſit illud in tota hac cauſſâ, ut ab omnibus rivulis ad fontem unicum pergatur, Salomonis perſona teſtatur graviſſimè SAPIENT. c. VIII, 21. *Cognoſcens verò, quòd non aliter compos ſapientiæ futurus eſſem, NISI DEUS DARET; ET HOC ERAT PRUDENTIÆ, SCIRE, CUJUS EA ESSET GRATIA: accedens Dominum, precatus ſum ipſum ex toto corde meo.* Conf. Proverb. II, 3, 4, 5, 6. III 5, 6, 7. Matth. VII, 7, 8, 9, 10, 11. Nec prætermittenda antitheſis SIRAC. XXXIV, 9, 10, 11, 12, 13. &c. *Spiritus, timentium Dominum, vivet: ſpes enim eorum eſt ſuper Eum, qui ſalvat ipſos. Qui timet Dominum, nihil extimeſcit, neque expaveſcit; quia Ille ſpes ipſius. Timentis Dominum beata eſt anima. Cui adhærebit, & quis eſt ſtabilimentum ejus? Oculi Domini ſunt ſuper a-*

mantibus

mantibus Ipſum, protectio potentiæ & ſtatumen roboris, tegumentum ab æſtu, & tegumentum à meridie, cuſtodia ab offendiculo, & auxilium contra caſum. Ille exaltans animam, & illuminans oculos, ſanitatem dans, vitam & benedictionem!

(4) *QUARTUS:* quòd *Platonis* aſſeclæ, etſi virtutis cauſſam *efficientem* atque *finalem* profitebantur Numen ſupremum, tamen hac cognitione ſaporem virtutis verum non perceperint; ſi maiorem etiam nacti ſint ac ſuaviorem forte, quàm *Ariſtotelici* aliíque, de *DEO* vix cogitantes. Videntur ſanè priores ſimiles regis *DARII*, qui, quum aquam turbidam bibiſſet, negauit, unquam ſe bibiſſe jucundius: enim verò nihilominus aqua fuerat turbida. Exemplum eſto ex CICERONIS *libro de Amicitia*, ubi docetur; ſi quis requirat, *ut par ſit ratio acceptorum & datorum, hoc quidem eſſe, nimis exiguè & exiliter ad calculos revocare amicitiam.* Egregiè quidem ille pro *genere* ſuo, ut multa. Ponamus: *Platonem* aſcendiſſe hac in re ad imitandam bonitatem Dei, ſolem ſuum & pluviam emittentis ſuper malos & bonos, ſuper juſtos & injuſtos; proptereáque ipſum non modò amicis, verùm inimicis etiam benefeciſſe, nec non gaviſum eſſe hac conſcientiâ. Affingentes verò huiuſmodi quid Platoni, certè nihil amplius ipſi dederimus, niſi commentitiam virtutem. Namque non minus manſiſſet alienus ab eo, quod verum verè eſt; neque enim *perveniſſet usque ad* (veram) *inimici dilectionem, ubi ipſe OCULUS PURGATUR, QUO VIDERI DEUS POTEST, quantum poteſt ab iis, qui huic ſeculo moriuntur: nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic ſeculo; in quantum autem huic vivunt, non vident.* AUGUSTIN. *de Doct. Chriſt.* l. II. c. VII. Cur non aſcendere potuiſſet in hunc gradum, commonſtrabit defectus

QUINTUS: quòd, ſi vel Platonicus quidam, quantum per naturam fieri poteſt, *à jucunditate rerum transeun-*

H *eun-*

euntium ſe avertens, ad dilectionem æternorum incommutabilem quærendam convertiſſet, ſcilicet ipſius Dei unitatem; hanc iſte ſua in caligine *aſpiciens in longinqua radiantem, perſenſiſſet* tamen, *ſe non poſſe illam lucem infirmitate aſpectus ſui ſuſtinere;* nec inveniſſet per ſe *CONSILIUM MISERICORDIÆ, in quo purgaret animam tumultuantem, atque obſtrepentem ſibi de appetitu inferiorum conceptis ſordibus*: quæ ſunt verba eiusdem loci Auguſtiniani. Pauciſſimis: *NATURA* in Gentilibus *NON SANATA* erat *PER GRATIAM*, nec ſanari poterat ſine verbo Dei de Mediatore. Quamobrem, ut Virtutes Ethnicorum haud perperam â multis *SPLENDIDA PECCATA* dicuntur; (conf. G. I. VOSSII *Hiſtor. Pelag* L. III. P. II. c. X. &c. unà cum *Tractatu Theologico de Natura & Gratia*, edito à Dn. D. P. ANTONIO) ſic eò præſentior agnoſcenda eſt cœleſtis miſericordia, Chriſtiani qua frui poſſunt, tot ingenia incomparabilia, reſpicientes, in tantæ miſeriæ tenebris relicta eſſe. Quò impenſiùs etiam cavendum, ne quid in noſtro ſalutis portu omittatur, videndúmque, ut abjecta omni cunctatione exſuſcitentur animi noſtri illâ curâ, quam CHRISTUS commendat unicè, majoréſque ita ad veram virtutem capeſſendam fiant. Matth. VI. 22, 22. Philipp. I, 9, 10, 11.

IV.

Neque illud contemnendum adminiculum; ut notentur Paganorum *dicta* & *facta*, quæ virtutis ſpeciem admirandam præ ſe ferunt. Conf. ſup. C. II. Aph. I. N. 1. Qua de re inprimis adhibendus AUGUSTINUS de *Doct. Chriſt.* l. II. c. XIX. ſcribens: *Quisquis bonus verùsque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, ubicunque invenerit veritatem; quam confitens atque agnoscens, etiam in litteris ſacris ſuperſtitioſa figmenta repudiet, doleàtque homines atque caveát, qui co-*

gnoſcentes Deum, non ut Deum glorificaverunt. &c. Et c. XL. obſervans, *illud in Exodo factum, ubi populus Iſrael vaſa atque ornamenta de auro & argento, veſtesque Ægytiis ex præcepto Dei abſtulit, figuratum fuiſſe, ut hoc præſignaret, quòd Chriſtianus quævis bona ab Ethnicis ſcriptoribus, tanquam poſſeſſoribus injuſtis, debeat transferre ad uſum juſtum prædicandi Evangelii. Nonne aſpicimus,* inquit, *quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto, Cyprianus, doctor ſuaviſſimus, & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fidelisſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorum.* Conf. ſup. C. I. Aph. VI. N. 1. Addit verò etiam c. XLI. XLII. vigilandum, *ne translatis illis* abutamur atque *inflemur*, quæ ne comparari quidem mereantur cum *divitiis Ieroſolymitanis.* Atque ideò nunc *vendatur* potiùs præda iſta, hoc eſt, uſu tantùm remotiore inſerviat nobis ad pudorem, tanquam Legis flagellum, *ne alibi, quàm in armis* (ſpiritualibus) *animum habeamus.* Conf. *LIVIUS* X, 20. Talia Ægypti ſpolia ſunt, quæ agunt de deſpicientiâ rerum humanarum, de honeſtate utilitati præferendâ, de conſtantiâ; & ſimilia. e. c. *Qui ita fruì voluptatibus volunt, ut nulli propter eas dolores conſequantur, &, qui ſuum judicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod ſentiunt non eſſe faciendum; hi voluptatem maximam adipiſcuntur, prætermittenda voluptate.* Item: *ſi omnes Deos hominéſque celare poſſemus, nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum.* Item:

IUSTUM, *& tenacem propoſiti virum,*
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente *quatit* ſolidâ: *neque Auſter,*

Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Exempla etiam, *Ariſtidis* & *Fabricii* juſtitiæ, *Reguli* conſtantiæ, ſunt talia: in quibus naturali modo humanas
Et pudor incendit vires, & conſcia virtus.

(2) Quò referenda quoque Chriſtianorum opera hypocritica illorum, qui habent μόρφωσιν ἐυσεβείας, ſpeciem pietatis, virtutem verò ejus (τὴν δύναμιν ἀυτῆς) abnegant. 2. Tim. III, 5. Fit namque interdum, ut hypocritæ aliqua virtutis ſimulacra tam feliciter conſectentur, Diabolo ipſorum conatibus non repugnante nec adverſante, ut ſanctis anteponendi omnibus videri queant. Cuiusmodi ſpecimen apparet in *Phariſæo* Luc. XVIII, 11, 12.

(3) Caput autem eſt in omni hac meditatione, ut, quò magis naturæ molimina quæque ſplendidiſſima, in iis, quæ ad pietatem ſeu virtutem veram pertinent, tam apud Chriſtianos, quàm Gentiles, tota ex fraude peccati & mendacio compoſita ſunt, eò ſtudioſius inquiratur, quænam δύναμις deſit utrisque, & qua in re conſiſtat illa vis, ſine qua virtutis forma externa caſſum quiddam eſt, interiorem veritatis formam nullam habens. Cujus ipſius inanitatis arguebatur *Magiſter ille in Iſrael,* NICODEMUS, quo cæteroqui nemo erat honeſtior Jeroſolymis. Ioh. III, 10.

(4) E quibus propoſitis & hoc conſequitur, quàm noxia ſit diſciplina, quæ ineuntem ætatem ad mores quidem, honeſtatis laude eximios, ſeriò ducit, efficaciam verò Chriſtianiſmi propriam, eàmque unicam virtutum omnium radicem, ſi non odio apertè proſequitur, ſaltem negligit, aut multò minore induſtriâ requirit ac commen-

mendat. Quid tam perverſum præpoſterúmve excogitari poteſt, ſicut iſta methodus ad virtutis viam? non, quòd exterius decorum ſúſque déque habendum ſit; (nam, hæc quidem eſt ſententia non tantùm ruſtica, verùm & contraria veræ virtutis indoli, à quâ, tanquam valetudine bonâ, haud ſeparanda pulchritudo) ſed, quoniam, uti abſurda eſſet cura pulchritudinis valetudine poſthabitâ, ſic turpis eſt dolus venuſta geſtuum moderatio, ſi præcipiatur antè, vel magis, quàm ægrotantis animæ purgatio. Fit enim inde, ut cum opinione honeſti arrogantia ſuccreſcat, & hac dominante gratia Spiritûs ſancti è verbo Dei admitti non poſſit. En, ſepulcra pulcherrimè picta; at, plena teterrimis ſordibus! Matth. XXIII, 27. Ecce autem!

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave!

Quàm ſapiens contrà DOMINI regula! ibid. v. 23. *HÆC OPORTET FACERE, & ILLA NON OMITTERE.* At verò, hoc verbum quid valeat, non vident, qui in errore ſuo perſtantes, urgent: ſi adoleſcentia hoc vel alio die, menſe, anno, regni Dei δύναμιν, & medicinæ ſpiritualis fructum, nondum oſtendat, num ipſa tantisper animi corporíſque cultu, quaſi quodam humanitatis cibo privanda? perinde, ac ſi Medicum interrogent, qui in ægroto medelæ efficaciam nondum ſentiunt, interimne fomentis abſtinendum & allevamentis? Cùm enim CHRISTUS negat omittenda, quæ debeant poſteriora eſſe, non jubet, omittere illa tam diu, donec priora, ſeu *graviora Legis,* plenè effecta fuerint: ſed divino imperio mandat, *hæc facere;* quod certè plus eſt, quàm *non omittere;* atque ita primariam operam his impendendam poſtulat. Quæ ſi talis continuetur ſine ulla intermiſſi-

miſſione, optatus licet eventus aliquandiu haud reſponderit, tum non vetat, intereà ſimul ſecundariam illis tribuere; immò, ne *illa omittantur*, dicit *oportere*. Similiter, ſi & juventus perſentiſcat, multò quidem majore contentione ſtudium veri Chriſtianiſmi indeſinenter exigi & inſtillari, tunc eidem non nocebit facilè, ſi ſecundariò conformetur ad honeſtatis civilis ornamenta, dummodò hæc ab inſtitutis Chriſti, & Baptiſmatis ſtipulatione, haudquaquam diſcrepent. Verùm enim verò mundus manere mavult intimè immundus, & præpoſterus, *amans tenebras magis, quàm lucem.* Ioh. III, 19. Idcircò non *FACIT*, ſeu, non curat præcipuâ ſolicitudine, ut unà cum ſuis δύναμιν ſpiritûs Chriſti induat; ſed, ore & corde frigens, quæ ſpectent eò, inquit, *non omittenda:* faciens autem ex toto corde, quæ non oportet primariò facere, plus ſatis omittit, quæ non tam non omittere, quàm facere oportebat. Quo ipſo ſpiritum *Antichriſti* fovet ac prodit miſerrimè. Conf. ſuprà C. I. Aph. V. N. 1.

V.

Natura ſimpliciſſima Virtutis, divinæ gratiæ & veritatis plena, quum ipſa ſit δύναμις illa Evangelii, potentia & efficacia, reddens quælibet graviora Legis quàm facillima; meminerit cultor ſapientiæ ſemper, quantopere CHRISTUS Nicodemo inculcet: Joh. III, 6. *Quod natum eſt è carne, caro eſt: ſed, quod natum eſt è Spiritu, ſpiritus eſt.* Quo ex fundamento intelligitur, in naturâ depravatâ non poſſe fieri, ut radix virtutis, quæ una, aliter, quàm duabus efficiatur, conſervetur, augeatur, partibus: quarum prior (*privativa*) tanquam fructus *mortis* DOMINI, quicquid carnis eſt, ſeu è carne naſcitur, *crucifigit, mortificat* Rom. VIII, 13. Gal. V, 24. inſtaurans *paupertatem ſpiritûs*, velut *officinam* Spiritûs Sancti unicam; Matth. V, 3. Rom. VI, 2. altera

(*poſitiva*)

(*poſitiva*) tanquam fructus *reſurrectionis* DOMINI, *Spiritum vitæ in* IESU CHRISTO confert, renovat, communit *pace* & *arrhabone*, atque inſtruit ad *opus fidei in potentiâ*, & omne bonum. Rom. VIII, 2. 4. 10. 16. 26. Eph. I, 13, 14. Philipp. IV, 7. 1. Joh. III, 24. IV, 13. 2. Theſſ. I, 11. Hebr. XIII, 21. Ad hanc poſteriorem verò tranſitus non datur, niſi reconciliatione cum Deo impetratâ ex *Evangelio*, factâque & *iuſtificatione* & *adoptione*. Priorem efficit *Legis*, ſtrictè & latè dictæ, uſus legitimus: cui inſerviunt quoque externæ *calamitates*, præ reliquis adminiculis *remotioribus* tantò quidem *propiores*, quantò magis ad ſentiendam manum Dei ſunt deſtinatæ, Ierem. V, 3. virtutique occaſionem atque anſam quaſi urgentiorem præbent. Simulacra huius rei, tametſi aliena, ipſi etiam Gentiles monſtrant, canentes:

Hectora quis nôſſet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis, per mala, facta via eſt.

(2) Eſt ergo inevitabilis renatorum conditio, de qua CHRISTUS ad Paulum 2. Cor. XII, 9. *Virtus* (potentia) *mea in infirmitate perficitur.* Apoſtolus propterea ſubjungit: *Lubentiſſimè igitur gloriabor potiùs in ipſis infirmitatibus meis:* per *infirmitates* non denotans peccata, ſed *paſſiones*, internas, externas; quibus carnem infirmantibus, fidelis eò ardentiore Spiritu potentiam Chriſti recipiens imbibit, ipſâque corroboratur penitus, ſubacto obſtaculo. Quam loci ejus Biblici ſententiam enucleat uberius SPENERUS in *GERMANICIS DICTIS BIBLICIS*, à ſecurorum abuſu vindicatis, p. 333. &c. Itaque gloriatur Paulus non tam de perpeſſionum ſuarum infirmitatibus variis, quàm de potentiâ Chriſti, quæ in iis ſuper ipſo habitet. Conf. 1. Pet. II, 19, 20. IV, 14. Sic etenim affecto *Gratia Chriſti ſufficit* omninò (ἀρκεῖ) ad virtutem ita præſtandam, ut homo ſit εὐάρεστος & δόκιμος, ibid. & Rom. XIV, 18.

(3)

(3) Hinc AUGUSTINUS tam ſedulò inducit veluti omnium unam regulam, cupítque hanc notiſſimam eſſe Chriſtianis: *In tantum ipſos videre, in quantum moriantur huic ſeculo; in quantum autem huic vivant, non videre*: ut lib. II. de Doct. Chriſt. c. VII. &, mutatis modò verbis, rem eandem l. III. c. X. *Quantò magis regnum cupiditatis deſtruitur, tanto caritatis augetur.* Hinc, opus illud divinum condens *de Civitate Dei*, in ſpiritu is vidit, quod eloquitur l. XIV, c. XXVIII. *Fecerunt civitates duas, amores duo; terrenam ſcilicet Amor ſui, uſque ad contemtum Dei; cœleſtem verò, Amor Dei, uſque ad contemtum ſui. Denique illa, in ſe ipſa; hæc, in Domino gloriatur.* Hinc POLYCARPI *Martyris* ſententia decretoria: *Non nobis á melioribus ad deteriora mutabilis mens eſt. Pulchrum verò atque honeſtum ducimus, à vitiis ad virtutem transcurrere.* EUSEBII *Hiſtor. Eccleſ.* lib. IV. c. XV. Conf. B. J. ARNDTII *de Vero Chriſtian.* lib. I. c. XXXVII.

(4) Quemadmodum verò in ſeminibus ineſt vis earum rerum, quæ ex his progignuntur; non aliter dicta Evangelii efficacia unicum eſt ſemen ſpirituale, in quo vis ipſa virtutis unius ineſt, quæ variis virtutum ſpeciebus, formis, notionibus effloreſcit. Conf. ejuſd. ARNDT. de V. Chriſt. l. IV. parte II. c. XXXII. cum dicto D. GERHARD. in Aphor. p. 166. *Ut ex radice multi arboris rami prodeunt, ſic ex charitate* (Dei) *multæ virtutes generantur.* Quid igitur? poſſumúsne aut unius virtutis nomine contenti eſſe, aut diviſione plurium ſic uti, ut prorſus dimittatur unitatis mentio? Neutrum equidem ſtatuendum, arbitror, ſed, in *praxi* & unitatis & diviſionis reputandæ uſum eſſe neceſſarium. CHRISTUS docuit, ommes omnium præceptorum virtutes charitate unâ comprehendi: MOSES, decem mandata duarum tabularum, *Levitica* autem innumera propoſuit. Uterque divinæ voluntatis interpres: hic ſervus, ſervili magis imbecillitati debuit ſervire; ille Filius, adoptionis ſpiritum aperire & reſpicere.

(5) Virtus, in *numero Singulari* & *abſolutè* conſiderata, nimis *confuſa* intellectui noſtro videtur, difficiliúsque ita & tardius ſingulas proprietates ſuas ſuggerit: *numero plurali*, & *Singulariter* diviſa, nobis accommodatius atque utilius ſe offert; quam ob cauſſam & tot agenda ægris mentibus præſcripſit DEUS miſericors, *Prophetásque* & *Apoſtolos* ad diſtinctè docendum miſit. Conf. ſup. C. I. Aph. II. & III. Itaque eſt neceſſarium, ut infirmitati noſtræ ſuccurramus, virtutum diverſarum veſtigia ſequamur in ſacrâ Scripturâ, & ſecundum hanc explicantes atque excutientes intelligentiam noſtram, videamus, quid cujusque proprium ſit; ne, charitati ſtudentes, obliviſcamur juſtitiæ, nec, juſtitiæ memores, prudentiam deſeramus, aut moderationem; vel etiam, ne, fortitudinem in *agendo* ſectantes, negligamus alteram, quæ in *patiendo* longè præſtantior reperitur, juxta illud:

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia: nec virtus altiùs ire poteſt.

Virtus enim conditur variis modis, tanquam cibus quidam neceſſarius, nec tantùm melle, ſed etiam pipere; & ita reperitur utilis. MACARIUS Hom. XVI. Præterea nil certius, quàm IACOBI dictum c. III, 2. *In multis labimur omnes.* Quidni ergò de multis officiis ſimus ſoliciti, ne quid omittendo, vel committendo, ſecus agamus? Hac enim mente PAULUS, *Philipp.* IV, 9. ut pax cuſtodiatur, obvias quaſque *virtutis laudisque* partes in animo frequentare jubet. Conf. ſupr. C. I. Aph. II. N. 2. Accedit, quòd, quò impuniùs hodie graſ-

ſan-

ſantur vitia, & quo inſidioſiùs ſub honeſti nomine occultantur; (conf. ſup. C. I. Aph. I. N. 6. it. GREGORIUS M. *Expos. Moral. in Iob.* l. III. c. XIX. atque ex Ethnicis HORAT. Satyr. III.) eò majore & circumſpectiore ſolicitudine opus, virtuteſque omni modo ad vivum reſecandæ ſunt: quemadmodum argenti atque auri dignitas exploratur. Atqui certè, (Sap. VII, 9.)

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

(6) Cæterùm quantacunque nobis ſit impoſita *neceſſitas* de variis cogitandi virtutibus, hanc longo tamen poſt ſe intervallo relinquit iſta, de qua DOMINUS teſtatur Luc. X, 42. *UNUM EST NECESSARIUM.* Niſi etenim nos, diviſi & quaſi diſtracti in varias, ſemper ad unam, ut ſcaturiginem, memoriâ ſtrenuâ recurramus, ex qua reficiamur & quaſi redintegremur videlicet; nunquam erimus pares tot ſpiritibus adverſariis, qui machinantur nihil impenſiùs, quàm ut, tanquam fluvius extra ripas, diffluamus, & diſcurramus κατ' ἄνθρωπον. 1. Cor. III, 3. Curandum ergò, ut ne inaniter multiplices officiorum notiones ſectemur, ne totidem turbati quaſi legibus, experiamur eò minus, quodnam illud ſit bonum, quod verum, quodque unum neceſſarium prædicatur. Spectat huc querela CHRISTI Matth. XV. & Marc. VII. de humanis traditionibus; & LUTHERI, de iisdem ſui temporis, *Comment. in Ep. ad Galat.* ſub finem: *Respublica quantò paucioribus legibus adminiſtratur, tantò felicior eſt. At Eccleſiaſtica noſtra, unica lege charitatis inſtituta, ut eſſet una omnium feliciſſima, quanto furore omnipotentis Dei, pro unâ illâ extinctâ, nubes, ſylvas, maria legum ſuſtinet, ut etiam titulos earum vix ſufficias ediſcere!* Recordatio autem virtutis verè unius, defixæ altiſſimis ſimplicitatis radicibus in IESU CHRISTO 2. Cor. XI, 3. habet tantam utilitatis ſanctiſſimæ uberta-

tatem, ut redundet pariter aquâ vivâ in quoslibet virtutum rivulos, quotiescunque ipſa ſpiritu fidei confirmatur. Eph. VI, 10. Hæc rapit, ducit, colligit omnia, in conſpectum Dei, quippe unius *Summi Boni*, ut coram Ipſo dilucidiùs, quàm res in ſole, dignoſcantur. Ioh. III, 20, 21. Eph. V, 13, 14. 17. Conf. MACAR. Hom. XXXI. Neque enim iſta *officiis*, ſed *finibus diſcernit* malum à bono; (conf. AUGUSTIN. cont. Julian. l. IV. c. III.) & quidem, quatenus hi cum unico illo arctiſſimè uniti ſunt. Nempe, ad vitandum ζῆλον ἄζηλον, *in agnoſcendo* CHRISTO & PATRE per SPIRITUM S. laborat circa omnia. Ioh. XVI, 3. 9, 10, 11. 13, 14, 15. Hic finis eſt *theſaurus cordis:* & virtus ipſa eſt *oculus, totius corporis*, univerſorùmque officiorum certiſſima *lucerna*; quæ quò ſimplicior, eò magis diluceſcit totum corpus, ſeu quicquid, ac quomodo, agendum, vel patiendum, vel omittendum fuerit. Matth. VI, 21, 22. Quid verò, ſi oculus animi tui non ita ſimplex erga Deum, an nihilominus actionum tuarum corpus lucidum erit per multas virtutes apparentes? nihil profectò minus. Acie mentis haud illuminatâ, ſed *malâ* in rerum uſu, nihil non erit *tenebricoſum:* ſi ergò *lumen, quod in te eſt, tenebræ, quantæ* functionum *tenebræ* tuarum! Quapropter, ſi unam virtutem verè poſſides amáſque, hoc unum in conſultationem veniet maxime, ut Deo fruaris totus, & tecum alii. Deus verò, *qui dixit, ut ex tenebris lux luceret*, magis magisque *accendet lucem in corde tuo ad colluſtrandam cognitionem gloriæ ſuæ, quæ in facie JESU CHRISTI eſt:* túmque *habebis* hunc *theſaurum fictilibus* quidem *in vaſis*, at eum in finem, ut *potentiæ* ſeu virtutis tuæ *excellentia ſit* manifeſtò *ipſius Dei, non ex te* ipſo. 2. Cor. IV, 7. Sin plurimis virtutibus inter homines fulgere videaris, quæ ex ſimplici eo fonte non deriventur, quid erunt coram Deo, niſi tur-

turpitudo tua? Is non judicabit te fallace oculo, ſed oculo ſuo ſimplice propalàm ponet in medio perverſam cordis tui caliginem, nec judicii, crede, illius lucem effugies. Rom. II, 3. Tanta eſt neceſſitas unius fundamenti, *in ſpiritu ac veritate* fundandi atque firmandi! Specimina virtutis, non diſſoluta, ſed juxta S. PETRI ductum ex ipſâ intimo nexu manantia, *cui non adſunt, cæcus eſt, μυωπάζων, oblivionem nactus veterum peccatorum.* 2. Pet. I, 5, 6, 7. 9. Tantummodò *ſpiritualis homo omnia dijudicat.* 1. Cor. II, 15.

Huic ſoli virtus, animúsque in pectore præſens!

Ecquis ille, homo ſpiritualis? nimirum, interpretante Apoſtolo, *mentem Chriſti*, h. e. veram virtutem, *habens tenénsque.* Quomodo talis verò dijudicat omnia? quia *unctionem accepit ab Eo*, qui *Sanctus ſanctorum*, cui *cibus* erat *voluntas Patris* cœleſtis. 1. Ioh. II, 27. Ioh. IV, 34. Iſthæc intima unctionis conglutinatio, inter Chriſtum & Chriſti membrum, præſertim ſi inveterata, annon virtutem effecerit, quæ talem habeat vim, ut, ſi quid divinæ voluntati congruens, facillimè agnoſcat, ſi quid verò ab eâ diſſidens, averſetur? Quam quidem facultatem non eſſe in iis, qui varias virtutes ſimulant modò, &, poſſe loqui de iis, ſatis habent, quid mirum? B. LUTHERUS *Comment.* in Epiſt. ad Galat. c. III. *Virtus eſt, non ſolùm poſſe loqui de regno Dei, ſed etiam re ipſa oſtendere, quòd Deus ſit efficax per Spiritum ſuum in nobis.* Et circa finem Epiſtolæ: *Nova creatura, qua reparatur imago Dei, non fit fuco aut ſimulatione ullorum operum externorum; ſed per Chriſtum ad imaginem Dei in juſtitia & ſanctitate veritatis creatur. Opera cùm fiunt, novam quidem ſpeciem afferunt, qua mundus & caro capiuntur, ſed non novam creaturam. Cor enim manet impium, ſicut anteà, plenum contemtu Dei, infidelitate* &c. *Ideo nova creatura eſt opus Spiritûs Sancti, qui fide purificat*

cat cor, & efficit timorem Dei, charitatem, caſtitatem &c. *ac donat virtutem domandæ carnis, & fugiendæ juſtitiæ & ſapientiæ mundi &c. Hic non eſt fucus, aut tantùm nova externa ſpecies, ſed res ipſa geritur. Revera ſenſus alius & aliud judicium, nempe ſpirituale, naſcitur, quod ea, quæ priùs magnifecit, pòſt abominatur.--Nam ubi cor novam lucem, novum judicium & novos motus per Evangelium concipit, fit, ut externi quoque ſenſus innoventur. Aures enim verbum Dei, non ampliùs traditiones & ſomnia humana, geſtiunt audire. Os & lingua non ſua opera, juſtitias & regulam jactant, ſed ſolam miſericordiam Dei in Chriſto exhibitam cum gaudio prædicant &c. Hæ ſunt mutationes, ut ſic dicam, non verbales, ſed reales, quæ afferunt novam mentem, voluntatem, novos ſenſus & actiones etiam carnis: ut oculi, aures, os & lingua, non ſolùm aliter, quàm antè, videant, audiant, & loquantur; ſed, ut ipſa mens etiam aliud probet & ſequatur.*

(7) Quod ſupereſt, tametſi eſt veriſſimum, quod AUGUSTINUS tradidit ſup. C. I. Aph. I. N. 6. virtutem, quæ non radices habeat altiores in ipſo Deo, tanquam Bono Summo, ſed ſine vera pietate ſit, gloriæ humanæ ſerviens, *nequaquam ſanctorum exiguis initiis comparandam*; ideóque multò etiam magis hæc mereri laudem virtutis veræ, ſi intelligantur de prima *Fidei victoria*: 1. Ioh. V, 4. eſt tamen magnopere providendum, ne in animum inducamus, intra hujusmodi initia poſſe virtutem conſiſtere & commorari. LUTHERUS loc. cit. ad ea PAULI: *Quotquot ſecundum hanc regulam incedunt, pax ſuper illos & miſericordia: Hoc adjecit quaſi Epiphonema,* inquit. *Hæc unica & vera REGULA eſt, qua incedere debemus, nempe NOVA CREATURA. Novæ creatura, neque circumciſio, neque præputium eſt; ſed, novus homo, ad imagimem Dei creatus in juſtitia & ſanctitate veritatis. Qui intus in ſpiritu juſtus, & foris ſanctus & mundus eſt in carne.* Diſcimus hîc ex

I 3 PAU-

PAULO & LUTHERO, quòd nova creatura, ſeu novus homo, ipſáque adeò virtus in ſpiritu, ſit unica *regula* vera & viva, qua, in qua, & ſecundum quam debemus *INCEDERE*: nullo quidem modo *opponenda* illa *normæ* verbi Dei, verùm utique tota ex hoc prognata, ac *ſubordinata* eidem prorſus. Conf. ſup. C. I. Aph. I. N. 1. 4. & C. III. V. 1. 3, 4. 6. Quo pacto enim naturalis vita ſecum fert *inſitum principium* (tam *normativum*, quàm *effectivum*) quorumvis primorum motuum & actionum; id quod ſine omni dubio in animalibus, rationis expertibus, perſpicitur: ſic, longè quidem eminentiùs, renati *ſunt Dei* *ποίημα*, *in CHRISTO IESU creati ſuper operibus bonis, quibus patrandis præparavit eos ipſe Deus, ut in iis ambulent.* Eph. II, 10. Quod ipſum argumenti Paulini robur eſt Gal. V, 25. *Si vivimus Spiritu, Spiritu etiam ambulemus.* Ubicunque ergò viget virtutis indoles, tranquillo in pacis ſolio ſentitur ipſa actuoſiſſima eò, ut animum fide purget à novis ſordibus, & provehat ſimul in pleniorem Gratiæ menſuram. Hinc B. GERHARDUS *Meditat. Sacr.* XXVIII. inter pia Veterum apophthegmata & ſequens proponit: *In via Domini aut proficimus, aut deficimus: ſingulis ergò diebus vitam tuam examina, an in pietatis ſtudio proficias aut deficias. STARE IN VIA DOMINI, EST RETROGREDI. Non ergò te delectet, in curſu pietatis ſtare; ſtudeas autem ſemper, in via Domini AMBULARE.* Conf. *MACARIUS* de *Cuſtodia cordis.* c. X. XI. Neque aliud, de quo legitur 1. Cor. X, 12. *Qui ſibi videtur ſtare, videto, ne cadat!* Ex mente Apoſtolicâ nemo quidem, niſi in virtute, ſtare exiſtimandus: atqui corrigitur hoc loco talis, qui *ſtare* ſibi adhuc videatur, ſed non ſtet ſine proximo cadendi periculo. Hujusmodi *ſtantem* PAULUS commonefaciens, negligentiæ cujusdam coarguit; ex qua ſibi præfidens ſit

ſit factus, & aptior ad depoſitum perdendum, quàm ad pergendum in propoſito. Quisquis igitur, in CHRISTO Gratiam adeptus, decreverit, *Neceſſario Uni* ſtrenuè adhæreſcere, in his tribus elaborabit potiſſimùm. (I) Suam ſemper noſcat infirmitatem, virtutis ſanitati oppoſitam, oriundam à *fraude peccati originalis*; Hebr. III, 13. & quidem, vel ex culpâ *neglectarum* precum, *in nomine CHRISTI* ardenter faciendarum, meditationúmque Biblicarum, & excubiarum ſpiritualium; conf. MACAR. de *Oratione*: & de *Cuſtodia cordis* c. VIII. it. Homil. XIX. & XL. &c. vel, ex *inordinatæ* cupiditatis culpâ, ſub formâ arrogantiæ, ſuſpicionis, impatientiæ, intemperantiæ: acrémque ſe & defectuum ſuorum, & bonorum malorúmque cordis motuum, præſtet judicem, nec ullo quidem modo indulgeat ſuæ pravitati; ſecundum vetus axioma: *Hoc ſolum virtuti adjeceris, quod propriæ voluntati ſubtraxeris!* (conferatur etiam atque etiam B. I. ARNDTIUS *de Vero Chriſtian.* I. II. c. VI.) quod tamen dictum non Ethnicè, ſed Evangelicè intelligendum, ut idem fiat cum Paulino Rom. V, 20. *Ubi abundavit peccatum*, ad malum propriæ voluntatis deteſtandum; *ſuperabundavit gratia.* (II.) Gratiam ex Evangelio ſemper denuò confirmet, ita ut unionis cum Deo in CHRISTO IESU, atque amoris Dei guſtus, occaſione cujusvis miſeriæ humanæ ac divinæ miſericordiæ, ne minuatur, verùm augeatur, è Scripturæ, & adoptionis in conſcientiâ, teſtimoniis. 1. Ioh. V, 9, 10. Nihil enim fructuoſius illo DAVIDIS Pſ. CXIX, 32. *Adhæſi teſtimoniis Tuis: IEHOVAH, non pudefacies me. Viam præceptorum Tuorum curram, quia latum facis cor meum.* Legatur iterum iterúmque locus jam laudatus Arndtianus! (III.) Sciens me-

meminerit ſemper; detrimentum capere virtutem, omne quidem ex lapſu in peccatum, vel *lethale*, vel *veniale*; nullum verò ex fortunæ externæ, aut tentationis ſpiritualis, ſcienter ſuperandæ, caſu; neque hoc ipſo veræ ſapientiæ curſum impediri. Sciendum quippe: ut *lethale* extinguit Gratiam, ſic *venialia* ipſam imminuere, obſcurare, &, ſi increbreſcant, minitari quoddam imminens atrociter labendi periculum. Utrumque illuſtratum videmus apud GREGORIUM M. *Dialogorum* lib. III. primum c. XXII. de illo, qui per lapſum *proæreticum* amiſit donum etiam *miraculoſum*; & alterum c. XXIII. de altero, qui propter *minùs voluntarium* peccatum ejus, cujus fide liberatus *dæmonio*, eodem hoc correptus, mox tamen ſolutus rurſum eſt, quum iſte in Chriſto ſe inſtauràſſet: malum enim, in *obſeſſo* recrudeſcens, liberatori erat documento, verbis licentiùs à ſe prolatis gratiam læſam eſſe, ex qua anteà liberatio fuerat impetrata. De eo, quòd calamitates per ſe non obſint virtuti, exultat quoque Ethnicorum Orator, pro *Roſcio: Virtus in tempeſtate ſævâ quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, & hæret in patriâ, ſplendétque per ſe ſemper, nec alienis ſordibus obſoleſcit.* Notum & illud:

Quisquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudémque decúsque parabit.

Gravisſimè AUGUSTINUS *de Civitate Dei* l. I. c. XXII. *Mens deprehenditur infirma, quæ ferre non poteſt, vel duram ſui corporis ſervitutem, vel ſtultam vulgi opinionem. Majórque animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre, quàm fugere; & humanum judicium maximè vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conſcientiæ luce ac puritate, con-*

temnere. Et SAPIENTIA SAL. c. VII. 30. *Lucem occultat quidem nox: ſapientiæ verò non prævalet malitia* ſcilicet neque humana, neque Diabolica.

VI.

Unum ad hæc non prætermittendum, quòd precum pars haud minima verſari debeat in eo, ne in virtute patrandâ conſcientiæ noſtræ τὸ θεῖον illud deſit, quo milites Chriſti excitantur in *Vocationibus* ſuis ad voluntatem DOMINI certam animo firmo agnoſcendam, promtéque & tempeſtivè exſequendam. Conf. ſup. C. I. Aph. I. N. 2. Aph. II. N. 1. Hujusmodi erat ſtudium, quod *Deus dederat in cor TITI* erga Corinthios, tantopere laudatum à Paulo 2. Cor. VIII, 16, 17. quóque EPAPHRA in precationibus *ſemper* inflammabatur, ad *certandum pro Coloſſenſibus*. Col. IV, 12. Quale χάρισμα tam arduum eſt, ut totus id impedire Satanas laboret, proptereàque ipſi Apoſtoli ad preces confugiant, à ſe aliisque ad DEUM faciendas, tam pro ſe, quàm pro aliis; nempe, ut ipſos *dignetur iſtâ vocatione Deus noſter, & compleat omnem bonitatis gratuitam benevolentiam, & OPUS FIDEI IN POTENTIA*: 2. Theſſal. I, 11. quam eximiam deſcriptionem ex eo præſertim *charismate* virtus accipit, teſtante v. 12. Conf. Rom. XV. 18. 22. 30, 31, 32. 1. Theſſ. II, 18. Epheſ. VI. 18, 19. Coloſſ. IV, 2, 3, 4. Hebr. XII, 12, 13.

(2) Nec tantùm adverſus culpam *defectûs*, verùm etiam contra *temeritatis* culpam orandum eſt, ne vel hujus vel ejus quidquam contrahatur; ſed ſpiritus potentiæ, charitatis, & moderationis, ut intra nos purget ab originalis peccati labe conſilia, quorum auctor

ipſe fuerit. Temeritatis exempla ſunt Num. XIV, 40. 2. Reg. XXIV, 10. 1. Maccab. V, 62. Act. XIX, 13.

(3) Quàm latè pateat doctrina iſta de dono Dei excitante in *Vocationibus*, privatis & publicis; APOLOG. Aug. Confeſſ. pulchrè oſtendit p. 95, 96. item *PHILIPP. MELANCHTHON* in Loc. Th. *de cauſſa peccati* &c. LUTHERUS Tom. I. Jen. Lat. f. 532. Diſput. de *fide juſtif. & miracul.* a. MDXLIII. habitâ, circa hoc argumentum obſervat *analogiam concurſûs Dei*, in *Naturâ* & *Gratiâ*, theſibus ſequentibus.

Fidem, quæ publicæ utilitatis, ſimilem eſſe dicerem motibus illis, quibus heroici homines excitantur.

Neceſſe eſt, heroicos viros fiduciâ quadam ſingulari excitari, ſi quid magnum & memorabile ſunt facturi.

Neque enim Therſita faceret, quæ Hector vel Achilles fecerunt, etiamſi vires & ſapientiam eorum haberet.

Multis non deſunt vires & ſapientia, qui tamen afflatu illo, ſeu fiduciâ animi carent, & nihil faciunt.

Sic Deus ſuſcitat ſpiritum Regum Medorum (ait Propheta) contra Babylonem.

Sic Naaman Syrus, adhuc idololatra, Deo excitante & donante, ſalutaris eſt Syriæ.

Etiam in Gentibus ingratis (DEUS) *diſperſit ſemper excellentia dona, & miraculis ſimilia.*

Quantò magis populo ſuo, tam per pios, quàm per impios, magna facere & donare poteſt!

Igitur diviſiones gratiarum, miniſteriorum, operationum, gratuita & publica dona ſunt, quibus Eccleſiæ utilitati ſervitur.

Fi-

Fiaes Chriſti, donum eſt unicuique proprium, in quo vivit. Rom. I.

VII.

Quæ quidem, hactenus de Uſu adnotata, ſi obſerventur præſtentúrque fideliter uſu ipſo; tum nec erit, quod quis dubitet de Gratiâ perſeverandi in virtutis unius fundamento. Quicunque autem ejusmodi animo *Civitatis Dei* membrum exiſtit, non aliter ſapientiæ compotem ſe factum & manſurum ſentiet, niſi, ut loquitur AUGUSTINUS, *IN AMORE DEI, USQUE AD CONTEMTUM SUI.* conf. P. V. §. 3. Hoc non aſſequitur *Naturalis* Theologia. Hoc eſt, quod reſtituit Theologia *Revelata.* Hoc illud momentum, ex quo diſcimus, qua tandem ratione ſapiens *glorietur*, &, *non glorietur.* Utique non oportet nos gloriari, id eſt, *nobis ipſis placere.* Pſ. CXV, 1. Rom. XV, 1. *Habent* verò *ſtantes gloriationem in CHRISTO IESU, quantum ad Deum.* ibid. v. 17. Itaque gloriantur; ſed, de *potentia Chriſti, in infirmitatibus*; 2. Cor. IV, 7. XII, 9. *in afflictionibus, ſuper ſpe gloriæ Dei, ex dilectione Dei in corde effuſa per Spiritum S.* Rom. V, 2. 5. ſed ita, ut, intuentes abyſſum tam miſeriæ ſuæ, quàm divinæ miſericordiæ, hanc virtutis proprietatum optimam experiantur, qua nullius neque ſanctitatis, neque prudentiæ, neque iuſtitiæ, neque fortitudinis, neque temperantiæ nomine gloriandum agnoſcant; veruntamen unicè glorientur de DOMINO, Pſ. XLIV, 9. quòd Ipſe *faciat miſericordiam, judicium & juſtitiam in terrâ.* Ier. IX, 23. conf. 1. Cor. I, 31. 2. Cor. X, 17. & ſup. C. II. Aph. V. N. 3.

GLORIA SOLI DEO,

Qui nihil diligit, niſi contubernalem Sapientiæ! Sap. VII, 28.

I. N. J. C.

PROGRAMMA INAUGURALE,

RECTORE REGIÆ FRIDERICIANÆ MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

EX COLLEGII THEOLOGICI DECRETO,

Ejusdem h. t. DECANUS

JOACH. JUSTUS BREITHAUPT,

S. TH. D. P. P. SEM. THEOL. DIRECT.

Conſil. Conſiſt. Duc. Magdeb. &c.

Ad CONCIONEM DOCIMASTICAM in Æde Scholaſtica cras hor. IX. habendam,

Nec non

AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM

Proxime in Auditorio Academ. ſuſtinendam,

A

VIRO PLURIMUM REVERENDO ATQUE AMPLISSIMO,

DN. FERDINANDO HELFRICO Lichtſcheid/

Vocato Præpoſito, Inſpectore & Paſtore Prim. Colon. ad Spream.

AUDITORES OMNIUM ORDINUM

ſolenniter invitat.

P. P. d. XI. Octobr. a. MDCCIV.

HALÆ, Typis Orphanotrophii.

REm Chriſtianam retro ſub lapſam eſſe admodum, ita ſocordes ſunt multi, vt negent; multi fatentur, ſed parum ſcire, vnicam mali rationem in vita & moribus ſtatuentes. Vis autem Chriſtiani officii ſita omnis eſt in agnitione Domini noſtri JESU Chriſti, quæ ſi penes hominem a Spiritu S. accenſa ac viuide aucta reſideat, externa opera non poſſunt mala eſſe; ſin talia ſint, neque eam poſſideri, ſatis produnt. Tam certa eſt veritatis diuinæ ſanctitas, vt, qui *cupiditatibus agantur, licet ſemper didicerint*, eo tamen in ſtatu *ad veritatis agnitionem venire poſſint nunquam.* 2.Tim. III, 6, 7. Quod cum docet Apoſtolus, teſtatur ſane ſimul, *vim pietatis haberi* non aliter poſſe, quam recepta ac cuſtodita Spiritus Sancti efficacitate; qua haud manente, nec vitæ nec doctrinæ, vtut optima videatur, integritatem, nec verum quidquam vtriusque, niſi quandam *μόρφωσιν*, *formam* inanem, ſupereſſe. ibid. v. 5. Atque hoc vsque adeo exploratum habuit Paulus idem, vt, apud quos ſub nomine Chriſtiano cognitionis damnum notaret, eosdem affectus praui, vnde illud oriretur, ſoleret arguere, tanquam fontis malorum omnium. Gal. VI, 12.

Ita ergo & hodienum fieri, obſeruamus: ſequi defectus in doctrina, vel in docendi modo, variisque ſentiendi & loquendi rationibus, vbi anima ad docentem Chriſti ſpiritum non ipſa perducta, ſed humanis ſuis conceptibus verbo Dei abuſa eſt.

Exem-

Exemplum inſigne ſuppeditat *Articulus* de *Incrementis Gratiæ & Renouationis Gradibus*, qui in tota Scriptura, Apoſtolica præſertim, lucem diffundit clarisſimam; in his autem poſtremis temporibus tantopere obſcuratur, vt pauci ipſius Theologiæ cultorum de illo digne cogitent, plurimi vero pulcherrimam *gratiæ & gloriæ analogiam*, quæ in eum admirandis viis confluit, aut turpiter ignorent, aut negent impie, aut nemini in ſemet ipſo obſeruatu neceſſariam, temere arbitrentur. Tantum vero vnde malum? Quando nempe non denuo vere ex ſpiritu Verbi renaſcuntur, hinc exiſtit, vt nec adoleſcere, nec augeri, nec coronari deſiderent; verum, quæ huc pertineant, reformident tanquam aliena: quemadmodum grauiter ægrotantes, ab iis, quæ ſanis omnium dulcisſima ſunt, abhorrere ſolent penitus. Contra, qui geniti ex Spiritu ſpiritus, vt *modo nati infantes, vltro appetunt lac* Euangelii, quo *ratio* vere *ſincera* efficitur, eapropter, *VT IN EO ACCRESCANT*: *ſiquidem guſtarunt, quam bonus ſit Dominus.* 1. Pet. II, 2, 3. Itaque hæc eſt ipſa regenerationis indoles, vt ejus participes facti, quamdiu eandem haud perdiderint, non posſint equidem, quin ad incrementa perpetuo aſpirent. *SCIENTES* etiam, ac minime immemores, *laborem ſuum non eſſe inanem in Domino*, ſed victoriam multiplicem manere multitudinem præmiorum vberrimam; hac itidem ſpe inflammantur, vt maneant *firmi atque immoti, abundantes in opere DOMINI ſemper.* 1. Cor. XV, 58. Utrinque igitur, ſiue naturam nouam, acceptam ex Deo, fideliter ſequantur, ſiue animo emendato plenisſimam gratiæ mercedem propoſitam ſeruent; toti in eo ſint, totamque in hoc vno appetitionem, curam, operamque ac ſtudium exerceant, neceſſe eſt, vt acceſſionibus *ſpiritualibus* potiantur, vtantur & fruantur magis magisque ſine intermisſione vlla. Immo vero & *deficit,*

 qui

qui non proficit: vt notum *prouerbium*, ſi de aliis rebus, multo magis de iis, quæ regni Dei ſunt, verisſime habet. Hæc eſt natura, hæc viua ſpes, hæc ipſa vita renatorum! Quapropter omnia omnino iſta & ſimilia argumento eſſe patet, qui in flagrante iſthac materia frigide agant, reddantque dubia, vel vt minus neceſſaria perſtringant, quæ mentem regenitam in vnione cum DEO tam efficaciter fouere atque excitare poſſunt ac debent, eos ſuam aliorumque ſalutem nimis negligere, & incurrere in errores, quibuscum Fidei ac Charitatis ſtare fundamentum nequeat.

Ceterum non parum intereſt, vt, quomodo Gratiæ accesſiones fiant, quomodo curentur recte, vel impediantur, & in quo maxime incrementorum verſetur ratio, quiuis & Chriſtianus & Theologus recte intelligat. Qua de re vt alibi vberius agitur, ita nunc communico BERNHARDI interpretationem *ſuper Cantic. ſerm.* XXVII. *Neceſſe eſt, animam creſcere ac dilatari, vt ſit capax Dei. Porro latitudo ejus, dilectio ejus. Nam & anima minime, cum ſit ſpiritus, corpoream recipit quantitatem, tamen confert illi gratia, quod negatum eſt a natura. Creſcit quidem & extenditur: ſed ſpiritaliter. CRESCIT NON IN SUBSTANTIA, SED IN VIRTUTE: creſcit & in gloria. Creſcit denique & proficit in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: creſcit etiam in templum ſanctum in Domino. Ergo quantitas cujuscunque animæ æſtimetur de menſura charitatis, quam habet; vt, verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna eſt, quæ parum, parua: quæ vero nihil, nihil.* Circa quæ verba eſt animaduertendum, loqui Patrem de charitate DEI, quam ſentiunt fideles per Spiritum S. diffuſam in ſuis cordibus, quamque Paulus omnium virtutum ſcaturiginem monſtrat. Rom. V, 5. Nec minus attendendum venit, partem hanc facillimam *poſitiuam* non excludere alteram *priuatiuam* difficiliorem, quæ ſemper iſtam antecedit. Pulchre commentatur de vtraque

que *Abbatis Neſterotis prima collatio apud Johannem* CASSIANUM, ſic habens: *Sciendum eſt, duplici nobis laboris intentione ſudandum, tam in expellendis vitiis, quam in virtutibus acquirendis. Et hoc non noſtra capimus conjectura, ſed illius ſententia perdocemur, qui ſolus opificii ſui vires rationemque cognoſcit. Ecce, inquit, conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna; vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & disſipes, & ædifices, & plantes. In expulſione enim noxiarum rerum quatuor eſſe neceſſaria deſignauit, id eſt, euellere, deſtruere, diſperdere & diſſipare. In perficiendis vero virtutibus, & his, quæ ad juſtitiam pertinent, acquirendis, ædificare tantummodo atque plantare. Vnde liquido patet, difficilius conuelli atque eradicari inolitas corporis atque animæ paſſiones, quam ſpirituales exſtrui plantarique virtutes.* Pluribus vero hanc rem patefacturus eſt *Inaugurali Diſputatione*, DE INCREMENTIS IN BONO ET IM MALO, Vir plurimum Reuerendus, atque Ampilsſimus, DN. FERDINANDUS HELFRICUS LICHTSCHEID, vocatus Præpoſitus, Inſpector & Paſtor. Prim. Colon. ad Spream: de cujus Vita vt more ſolenni conſtet, ipſum recenſentem habemus.

Natus 1661. $\frac{21.\ A.\ N.}{11.\ A.\ V.}$ Nouembr. in *Auſtria*, *Würmlæ*, arce pagoque DNN. Baronum de *KORNFEIL*, honeſtis parentibus, *ANDREA LICHTSCHEID*, hujus & reliquarum terrarum Dnn. de Kornnfeil Quæſtore, & Matre, *REGINA*, nata *PASSAUERIA*. A patre ante natiuitatem meam Deo dicatus, ſtudiis Theologicis & Eccleſiæ ſeruitiis, ex ipſius intentione, meaque propria inclinatione admouendus eram. Infans 3. ann. exul ob Relig. Luth. profeſſionem cum parentibus factus, *Ratisbonam* (vbi in itinere illapſus Danubii aquis diuinitus ereptus ſum) delatus, prima literarum & Catechiſmi rudimenta ibidem didici, peculiari Dn. Matthiæ *FRENZELII*, Syndici

 Ra-

Ratisb. fauore adjutus, qui filii loco patriæ jam orbum me habuit. Puer dein per Auſtriam patriam, *Sempronium*, Hungariæ vrbem, ad ſcholam adductus, cum Dn. Barone de Kornfeil, minimo natu, educatus ſum aliquot annis; donec ſcholis templisque ademtis contigit, vt ego poſt alterum exilium *Vratislauiam*, Sileſiæ metropolin, a Dn. *KARGIO* Cantore, in Templum Eliſabeth. ob muſicæ peritiam vocisque puritatem vocatus, Gymnaſium Eliſabethanum plures per annos frequentarem. Viros meritiſſimos, Dn. D. ACOLUTHUM, Paſtor. Prim. in Theol. Polem. Dn. M. FRIDERICI, Eccleſiaſten in Theol. Poſit. & Lingu. Hebr. Dn. Eliam THOMÆ, Rectorem, in Phyſ. Metaph. &c. Dn. GEBHARDI, Conrect. in Pilolog. & ſtylo, Dn. M. Mart. HANKIUM, in Philoſ. mor. & Hiſtor. Dn. Chriſt. GRYPHIUM, in Græcis &c. ibi docentes audiui; paternum inprimis fauorem expertus Dnn. HANKII & GRYPHII, vtriusque adhuc in viuis, qui, duorum Gymnaſiorum Rectores, intimo acceſſu in domos & bibliothecas ſuas conceſſo, ſtudia mea promouerunt. Hinc 1681. *Viennam* Auſtriæ repetens, hîc ab amicis fautoribusque Matheſin, Opticam &c. addidici. Jenam deinde, paulo ante obſidionem Turcicam Vienn. proficiſcens; audiui B. Dn. BECHMANNUM S. Theol. Doct. publice legentem in Theologicis, in Mathematicis vero celeberr. WEIGELIUM, qui pariter me filii nomine dignatus eſt. Scriptis delectatus in primis B. MUSÆI, in hæc cum cura incubui, conjungens B. DANHAUERI æſtimatiſſimos labores, HULSEMANNI quoque & SCHERZERI, nec non libros optimorum Virorum, Mart. CHEMNITII & Joh. GERHARDI. Dn. D. SPENERI etiam libello inſigni, Von der allgemeinen Gottes Gelahrtheit / excitatus, ἀλήθειαν, quæ eſt κατ' εὐσέβειαν, ſtudioſus Theol. cœpi quærere. Mox ob bellum Turcicum omnibus ſubſidiis domeſticis deſtitutus, ſuppellectilem librariam hactenus collectam, do-

domumque transmiſſam, cum aliis ibidem relictis bonis, omnino perdidi. Academia relicta *Cizam* a Patrono ſummo ob curam filii vocatus, atque hic innoteſcens, primum 1687. ad munus ſacrum Paſtoris in *Krötſchau*, a Reuer. Capitulo Zizenſi, poſtea 1689. ad Templum primarium vrbis Michaelitanum a Reuerendiſſ. & Sereniſſ. Principe MAURITIO WILHELMO, Poſtulato Adminiſtr. Naumburg. & Duce Saxon. Domino meo ſine vlla intermiſſione clementiſſimo, nihil tale cogitans, neque id vllo modo quærens, vocatus ſum. Deus autem me non ſolum cœtus exemplar in doctrina, ſed & in multis afflictionibus & patientia fieri volens, tam grauibus & pertinacibus doloribus Theologiam crucis mihi inculcauit, vt pluries beatam analyſin ex officio, ex conjugio, ex mundo, exſpectauerim, rariſſimo jam charactere in aperto thorace notatus, quo ſucci nutricii quantitas non exigua quotidie effluit. Caſum diſſertatione publica Dn. D. HOFMANNUS, Conſiliar. Reg. Med. & Phyſ. Prof. meritisſimus, delineauit. Scripta publica huc vsque a me ſunt edita ſequentia: De Jure vocationis miniſtrorum Eccleſiæ per nuptiarum adjectionem. An. 1696. in 8. Confinium veri & falſi circa amorem purum. 1699. in 8. Intereſſe veritatis in causa amoris puri. 1699. in 8. Chriſtliche Gedancken vom Büchl. Ewiges Evangel. 1699. in 8. Reine Abſicht auff die Seeligkeit 1701. in 8. Gründliche und beſcheidene Unterſuchung vom Gnaden-termin. 1702. in 4. Wahre Friedens-Mittel im Streit vom Gnaden-termin. 1703. in 4. Sendſchreiben an Hn. D. Rechenberg / an Hn. Honſtäd / Sen. Lub. an Hn. D. Fecht / an Hn. D. Ittig / in 4. Predigt vom Recht des Sabbaths / 1703 in 4. Nunc vltra omnem ſpem meam me iterum ex quieto vitæ genere, gratioſisſima Principis mei indulgentia hactenus conſtantisſime conceſſo, ad functionẽ grauiorem, ex cruce ad lucẽ vocat Optimus Pater Cœleſtis. Ipſe ergo vires collaturus

eſt,

eſt, poſtquam elegit debilem, quique in nulla re, niſi in cruce DOMINI noſtri JESU CHRISTI gloriari deſiderat; per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.

Nimirum, DEO dirigente, a *Potentisſimo REGE Borusſiæ*, DOMINO noſtro longe clementisſimo, vocatus eſt dignisſimus vir *Præpoſitus* & *Inſpector Eccleſiaſticus*, nec non a *Senatu Colonienſi ad Spream Paſtor primarius*. Quamobrem vt in reliquis, ita & hic diuinæ voluntati ſe plane ſubmiſit, jubentibusque Patronis in hoc etiam negotio eſt obſecutus, vt eruditionis atq; integritatis Theologicæ teſtimonium publicum ſibi impertiri pateretur. Admiſſus propterea in Uniuerſitate FRIDERICIANA noſtro a Collegio, talem ſe facile probauit, qualem ipſum experta dudum eſt Eccleſia Euangelica. Nec minus ex *Curſoriis lectionibus*, quas publice ex *Facultatis* decreto his diebus habuit, *de Syſtoichia vmbrarum legis cum veris antitypis*, in Gal. IV, 21-27. rara ejus doctrina, elegante ac pio cum judicio conjuncta, ab audientibus juſtisſimum applauſum reportauit. Nunc de *ſpeciminibus* publice adhuc edendis ſupereſt, vt cras *Domin. p. F. Trin. XXI. Concio* accedat hor. antemerid. IX. in *Æde Scholaſtica*, ac deinde diſputatio illa ſolennis, de INCREMENTIS IN BONO ET IN MALO, exquiſite conſcripta. Ad quem vtrumque actum Academicum, conſentiente Magnifico Prorectore, Proceres omnium Ordinum, Profeſſores Ciuesque Academicos, Illuſtrisſimos, Illuſtres, Amplisſimos ac Nobilisſimos, officioſisſime atque amantisſime inuito, Summi Numinis auxilium ad omnia implorans etiam atque etiam.

P. P. in Acad. Regia Fridericiana
d. XI. Octobr. A. MDCCIV.

COLUMBIA UNIVERSITY
0025986554